NOUISSIMA PHILOSOPHIA. AUCTORE P.D. FLAMINIO DE LANGHIS...

Flaminio Langhi



NOVISSIMA PHYLOSOPHIA

Auctore

P. D. FLAMINIO DE LANGHIS
Nouarienſi Cler. Reg. S. Pauli

PARS SECVNDA


CONTINENS PHYSICAM.



MEDIOLANI,

Ex Typographia Franciſci Vigoni
M DC LXXIX.
Superiorum permiſſu, & Priuilegio.





AD LECTOREM.



Onceptum ſermonem, Candide Lector, retinere quis poterit? qui ſemel ianuam dedi reliquam Phyloſophiæ domum tenebar litterario Orbi exhibere. Semel incæpto itinere. quia ſum Viator, peregrinandum erat. Licet puſilli Intellectus partus ſint monſtra, monſtruoſiora fuiſſent ſi non integra paucum erraſſe non ſufficit, vbi errores Auctoris imperitia excuſat, Lectorum benignitas non accuſat. Prolixitates meo more & faſtidio, & fu-

gio. Breue malum tolerabilius fertur. Auctorum turbam, quando etiam curarem, non numero; quid dicatur non à quot semper intendo, non enim veritas more Arcis præsidiarijs indiget. Noua aliqua, alia renouata solito ritu adinuenies, non enim fraudanda est Lectorum fames, vt easdem, & has nauseam iam mouentes epulas, licet in alia mensa ponamus. Tuum erit benigne Lector secundū hunc Physicæ opusculum affectu legere, miseratione compati; quid enim non defectuosum euulgabitur, vbi de corpore defectibili agitur. Vale.



Ex

DON GABRIEL FANTES
Cong. Cler. Reg. S. Pauli
Præpositus Generalis.

CVM librum, cui Titulus est, Nouissima Philosophia, &c. Pars Secunda, Tertia, & Quarta, à Patre Don Flaminio de Langhis Congreg. nostræ Presbytero professo compositum duo eiusdem Congreg. eruditi Viri, quibus id commisimus accurata lectione, & graui iudicio recognouerint, & posse in lucem edi probauerint. Nos, vt Typis mandetur, quantum in nobis est, facultatem facimus, In quorum fidem &c. Dat. Romæ in Collegio nostro Sancti Blasij, & Caroli. Die septima Ianuarij 1679.

Don Gabriel Fantes Præp. Gen.

Locus ✠ sigilli.

D. Antonius Maria Burontius
Cancell.

EX commiſſione Reuerendiſſimi Inquiſitoris Status Mediolani accuratè perlegi librum cui titulus Nouiſſima Pyloſophia à R. P. D. Flaminio de Langhis conſcripto ac in eo nihil reperi contrarium Catholicæ fidei aut bonis moribus, Imò opus eſſe impreſſione dignum iudico. In quarum fidem me ſubſcripſi die 9. Nouemb. 1678.


F. Caſimirus à Lauda S. Theol. Lect. Gen. & pro S. Off. Librorum Reuiſor.

Stante ſupradicta atteſtatione

IMPRIMATVR

Fr. Ant. Maria Cruceius Sac. Theol. Mag. & Commiſs. S. Offitij Mediol.
Iacobus Saita S. T. D. Canonicus Imperialis Baſilicæ S. Ambroſij pro Eminentiſs. D. D. Card. Archiep.
Arbona pro Excellentiſs. Senatu.

IN-



INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

Bina-

C

D

Fi-

F

G

H

I

lit

M

modo

N

O

Quie-


Res-



EX QVÆSTIONIBVS PHYSICÆ.

DIFFICVLTAS I.

Quænam ſint principia corporis naturalis in fieri, & facto eſſe.



COnclusio prima. principia neceſſaria corporis ſubſtãtialis in fieri ſunt duæ ſubſtantiæ, & duæ priuationes; vna ſcilicet, a qua tranſit materia; alia, quæ ſit priuatio compoſiti in facto eſſe.

Aduerte ad intelligentiam Concluſionis, nomine duarum ſubſtantiarum me non intelligere materiam, & formam ſaltem de neceſſitate, ſed me intelligere duas ſubſtantias quomodocumque, ita quod poſſit dari corpus, quod conſtet ex duplici ſubſtantia, quarum neutra ſit materia; vel

vel forma, quod pariter sustinet Ouiedus controu. 5. p. 4. de toto substantiali.

Probatur prima pars. Corpus substantiale in fieri est totum substantiale in fieri, sed nequit dari totum substantiale in fieri, nisi dentur saltem duæ substantiæ, ergo ad corpus substantiale in fieri requiruntur necessariò duæ substantiæ. Confirmo, totum Metaphysicum constat ex duplici substantia, nempè ex natura, & subsistentia, ergo etiam Corpus naturale physicum debet dicere saltem duas substantias.

Dices primò. contra probationem potest dari aliquod compositum accidentale, etiam si vna pars tantum sit accidentalis, vt patet in composito ex pariete, & albedine, ergo etiam potest dari compositum substantiale, etiam si vna pars tantum sit substantialis, difficilis aliqualiter videtur disparitas. attamen si compositum sit ex materia, & forma, facilè est dicere, quod, cum denominatio huius

compositi substantialis proueniat a forma, & ex alia parte materia sit semper substantia, ideò vtraque pars debet esse substantia.

Si verò detur compositum constans ex duplici parte, quarum neutra sit materia; vel forma; tunc pro disparitate potest dici, quod, cum compositum substantiale sit magis perfectum, debet esse magis ex integra causa, & per consequens debet includere duas partes ambas substantiales.

Dices secundò. non nè potest dari corpus simplex, per consequens corpus, quod necessariò non requirat duas substantias. Sed Contra. etiam si concederetur possibilitas corporis simplicis, adhuc illud esset corpus extrà quæstionem, quam modo agitamus, nam si modo quærimus, quænam sint principia componentia corpus, certè agitur de corpore composito, non de simplici.

Probatur secunda pars. ad compositum in fieri requiritur transitus a

termino a quo, seù a non esse ad esse, sed iste terminus a quo nihil aliud est, quam priuatio illius esse; quod aquiritur, ergo. Confirmo. motus localis in fieri importat terminum a quo localem, ergo transitus compositi in fieri importat terminum a quo priuationis.

Quod autem requiratur alia priuatio, nempè priuatio facti esse, sic probatur. implicat intelligere compositum esse in fieri, nisi intelligatur non esse in facto esse, ergo non potest intelligi compositum esse in fieri nisi intelligatur priuatio facti esse. Si enim intelligatur sine priuatione facti esse intelligitur sine priuatione quietis, & per consequens sine transitu. Confirmo. magis principiat in fieri illa priuatio quam compositum retinet, quam illa, quam compositum non retinet, sed priuatio facti esse retinetur a composito in fieri, priuatio formæ, quæ aduenit deseritur, ergo, si ista principiat, multo magis illa.

Dices,

Dices. priuatio facti esse non retinetur, quia, cum in eodem instanti temporis detur fieri, & factum esse, ideò priuatio facti esse retineri non potest; illud enim non retinetur, quod saltem per aliqua instantia non durat. Sed Contra. dicitur, priuationem facti esse rètineri a fieri quia, vsque quò durat fieri, (vel vt vitemus rixas) vsquequò compositum est in fieri, semper datur priuatio facti esse; quod deindè hoc tempus sit breuissimum, hoc impertinenter se habet ad nostrum intentum.

Conclusio. eadem principia, mutato tamen statu, quæ requiruntur ad fieri requiruntur ad factum esse. est contra communem. Sed ratio me conuincit, ideò benè valeat Auctoritas.

Probatur. quià compositum in facto esse, est totum in facto esse, ergo si ipsum sit substantiale, requiret duas substantias vnitas, sicut requirit compositum in fieri, statu solum mutato.

Quod autem requirantur duæ pri-

uationes ſic oſtenditur. quia implicat quod intelligatur compoſitum in facto eſſe, niſi tranſeat ad priuatione facti eſſe, ecce vnà priuatio. rurſus non poteſt intelligi corpus in facto eſſe niſi intelligatur, dari in ipſo priuationem fieri, ergo requiruntur etiam in compoſito in facto eſſe duæ priuationes. Confirmo. fieri dicit duas priuationes quia & debet tranſire a non fieri ad fieri, & debet dicere carentiam facti eſſe, ſed etiam factum eſſe debet tranſire a non facto eſſe ad factum eſſe, & debet dicere carentium fieri, ergo etiam in facto eſſe requiruntnr duæ priuationes.

Dices. factam eſſe non dicit tranſitum, quia, cum factum eſſe ſit iam in quiete non eſt, cur amplius ſit in motu, & per conſequens in tranſitu. Sed Contra. factum eſſe non eſt in motu comparatiuè ad fieri, quia maior eſt tranſitus a non eſſe ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter, quam a fieri ad factum eſſe, cæterum in rigore factum eſſe & ipſum dicit tranſitum a non fa-

cto

cto esse ad factum esse; imò si subtiliter res examinetur, quando compositum transit a secundo ad tertium instans suæ durationis, transit ab vno facto esse ad aliud, per consequens dicit transitum.

Argumenta communia, quæ fieri solent contra has duas Conclusiones, ista sunt primò præter enumerata dantur agens cōditiones, subsistentia, forma antiqua, vnio, & priuatio materiæ in forma.

Ad illud de agente solet responderi, quod agens est extrinsecum, & id *a quo* principium autem, de quo discurritur, est intrinsecum, & id *ex quo* cum principia definiantur *illa, ex quibus aliquid fit*.

Posset instari; quod magis sit extrinsecum priuatiuum positiuo, quam agens positiuum alteri positiuo, ergò si hoc non obstante, priuatio est principium etiam agens debet esse principium: Sed Contra. posset in primis dici priuatiuum esse extrinsecum magis positiuo, quam duo positiua in-

ter se in ratione entis non sic in ratione principij. deinde si benè res consideretur, priuatio non est intrinseca alicui positiuo, sed est intrinseca composito, quod est mixtum ex positiuo, & negatiuo, eo modo, quo aurum non est intrinsecum argento, est tamen intrinsecum illi aceruo, in quo est & aurum, & argentum, & natura humana non est intrinseca naturæ diuinæ præcisè sumptæ, est tamen intrinseca illi supposito, in quo est & natura diuina, & natura humana.

Ad illud de conditionibus similiter solet responderi, has esse extrinsecas. ad illud de subsistentia dicitur, quod subsistentia spectat ad suppositum metaphysicum, non ad compositum Physicum. ad illud de forma antiqua respondetur, transitum a forma antiqua esse per accidens, cum per accidens sit, quod antè hanc formam fuerit alia forma.

Instare possunt contra hanc vltimam responsionem. licet alia forma præcedens sit per accidens respectu

materiæ, quia materia potuit esse sine ipsa, tamen non est per accidens respectu formæ nouæ, quia implicat forma noua sine relatione ad antiquam, sicuti implicat primum sine relatione ad secundum. Sed Contra ly *noua* facit duplicem sensum, vel enim significat quod res, quæ nunc venit antea non fuerit, & per consequens nunc sit noua, & in hoc sensu forma adueniens, est semper noua; vel facit sensum, quod forma adueniens semper supponat antiquam, & in hoc sensu forma adueniens non semper est noua. forma autem, quæ principiat debet esse noua in primò sensu, non in secundò.

Ad illud de vnione dicitur, quod sicuti copula connectens terminos logicos non est terminus, ita vnio connectens principia physica, non est principium.

Tandem circa difficultatem priuationis materiæ in forma duas alias audiui responsiones. prima erat, quod, cum forma nunquam esset ante ma-

teriam, ideò non poterat habere illius priuationem. Sed Contra. in primis hæc responsio probaret etiam, non dari in Creatura carentiam deitatis, quia non datur Creatura ante Deum: secundò sic arguo. quælibet forma, quæ fuerit heri producta potest vniri nunc cum materia producta nunc, sed hoc modo forma præcederet materiam, ergò.

Secunda responsio erat, quod forma nunquam est sine materia, per consequens nunquam habet illius priuationem. Sed hæc quoque non subsistit, tum quia, supponit tamquam certum, formam non posse esse sine materia, quod infrà negabitur. tum etiam quia, licet daretur, quod forma non posset stare sine aliqua materia indeterminatè, tamen adhuc posset dicere priuationem huius, vel illius materiæ determinatè sumptæ. alia igitur est quærenda responsio.

Respondeo, priuationem materiæ in forma, & formæ in materia, licet in se sint duæ priuationes, sumptas

tamen in ratione termini a quo esse vnicum tantum principium, eo modo, quo ignis, & calor licet in se sint duo entia diuersa, in ratione tamen principij calefactiui sumuntur vt vnú quid indiuisibile.

Contra aliam partem de duabus priuationibus posset obijci primò, quod compositum in fieri dicit transitum ad terminum positiuum, si autem transiret ad priuationem facti esse non daretur transitus ad terminum positiuum. Sed Contra. adhuc admissa duplici priuatione, sustinetur, quod compositum in fieri transeat ad terminum positiuum, cum transeat ad formam in fieri, licet hæc forma in fieri sit connexa cum priuatione facti esse.

Possent instare. propositio illa non verificatur de tertiò adiacente, quæ nec potest verificari de secundò, sed de forma in fieri non potest verificari hæc propositio, *forma in fieri habet priuationem formæ*, ergo nec potest verificari ista alia; *forma in fieri*

habet priuationem formæ in facto esse. Sed Contra. quidquid sit de maiori, quæ millenis modis solet explicari, dico, quod forma in fieri non habet priuationem formæ absolutè sumptæ, sed formæ sumptæ secundum aliquem statum, nempè secundum factum esse, eo modo, quo Animal rationale non dicit priuationem Animalis absolutè, sed Animalis secundum statum rugibilitatis.

Posset obijci secundò. tot sunt priuationes in vnoquoque composito, quot sunt formæ, quæ non sunt in tali composito, sed in vnoquoque composito non sunt formæ ferè infinitæ, ergo in vnoquoque composito dantur priuationes ferè infinitæ, sicque plusquam duæ.

Respondeo, in vnoquoque composito dari infinitas priuationes, sed impertinenter se habentes in ordine ad principiandum compositum, cum posset intelligi compositum ignis, sine priuatione formæ ferri, formæ lapidis &c. cum compositum ignis

sufficienter intelligatur per hoc, quod transeat a priuatione ignis ad ignem, non verò per hoc, quod transeat a priuatione formæ ferri ad ferrum.

DIFFICVLTAS II.

An materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis.

CONclusio. nullum datur argumentum efficax probans, materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem.

Primum argumentum est, quia materia definitur subiectum primum, ex quo aliquid fit, sed subiectum primum non potest generari, secus deberet antè se supponere aliud subiectum, & sic primum non esset, ergò. Sed hoc argumentum facilè potest solui dicendo, materiam esse subiectum primum, vel respectiuè ad quantitatem, quæ est subiectum secundarium, vel respectiuè ad formas substantiales, quatenus nihil aliud præter

ter materiam eſt ſubiectum receptiuum formarum ſubſtantialium, non verò in ordine ad aliam materiam, in qua poteſt recipi eo modo, quo Anima, licet ſit ſubiectum primarium actuum vitalium, tamen in alio recipitur nempè in corpore.

Inſtabis. Anima, ſi recipitur in alio eſt quia non eſt ſubiectum primum, cum ſupponat ante ſe corpus, & hoc non verificatur de materia. Sed Contra. Anima in ordine ad actus ſpiritualis eſt ſubiectum primum, cum non detur ante ipſam (imo nec poſt ipſam) aliquod receptiuum rerum ſpiritualium, & ideò ſemper &c.

Secundum argumentum eſt, quia materia eſt ſubiectum vltimum iuxta illas particulas, quæ ponuntur in eius definitione, *& ſi quid corrumpitur in hoc abibit vltimum*, ergo non poteſt corrumpi; quia deberet dari aliud ſubiectum vltimum, quod remaneret poſt materiam corruptam. Sed Contra. dicitur, quod materia ſit ſubiectum vltimum in ordine ad formas;

mas; quia post destructionem formæ remanet materia, non verò in ordine ad aliam materiam, in qua posset, & ipsa subiectari.

Instabis; dato, quod posset hæc materia, corrumpi posset etiam corrumpi illa materia, quæ remaneret post corruptionem huius materiæ ergo etiam illa deberet post se habere aliud subiectum, & sic in infinitum. Sed Contra. ex suppositione, quod in infinitum possint multiplicari subiecta, difficultatem non habeo in multiplicandis corruptionibus, eo modo, quo, multiplicatis in infinitum causis, possunt in infinitum multiplicari actiones causarum.

Tertium argumentum, quod posset fieri est; quia, si deberet materia generari deberet ab aliquo agente generatiuo generari, sed quodlibet agens generatiuum iam supponit ipsam materiam, ergo non potest ipsam materiam generare, cum implicet generare id, quod iam supponitur. Sed Contra. agens generatiuum debet

debet supponere materiam *ex qua*; non materiam *quam*, materiam ex qua, ideſt materiam, ex qua educitur alia materia, non materiam, quam, ideſt illam materiam, quæ educeretur, ſeù produceretur de nouo.

Quartum argumentum poſset ſic formari, ſi materia poſset, generari, & corrumpi, cum ſemper nouæ dentur generationes, & corruptiones ſequeretur, quod noua ſemper materia generaretur, & corrumperetur, ſed hoc eſt contra mentem omnium Doctorum volentium, materiam creatam fuiſse in initio mundi, & nunquam fuiſse corruptam, ergo.

Hoc argumentum duo inuoluit, quæ debent examinari. in primis eſt falſum, quod ſi materia poſset generari, & corrumpi actu generaretur, & corrumperetur, quia a poſſibili non valet argui ad actum vt notum eſt cuicumque, etiamſi triuiali Philoſopho. ad id, quod dicitur de quotidianis nouiſque generationibus, & corruptionibus reſpondendum eſt, il-

las fieri, ſed vel circa formas, vel circa alias ſubſtantias.

Secundò. Doctores quidem dicunt, fuiſse creatam in initio mundi, & (ſi tamen hoc dicunt) nunquam fuiſse corruptam, ſed non dicunt, eſse, per hoc tantum ingenerabilem, & incorruptibilem, ſicut enim Homo, qui nunquam peccauerit, non poteſt per hoc dici, quod ſit impeccabilis ità a pari, licet materia nunquam generata, & corrupta fuerit non poteſt tamen dici, quod ſit ingenerabilis, & incorruptibilis. addo, quod etiam ſi illa materia facta in initio mundi non fuerit generata, & corrupta, non tamen per hoc euincitur alias materias non fuiſse generatas, & corruptas, quod ſufficit pro noſtro intento.

Quintò. ſic poſsent arguere. primum principium actionis, nempè Deus non eſt ab alio, ergo primum principium paſsionis, nempè materia non debet eſse ex alio, ſicque non debet poſse generari. Si hoc argumentum valeret ſequeretur, quod

materia deberet esse immensa, omnipotens, & spiritualis eo modo, quo est omnipotens, & immensum primum principium actionis. Directè tamen dicitur, quod primum principium passionis non debet esse ex alio, in illo ordine, & respectu illius respectu cuius est principium passiuum, nempè respectu formarum, vndè sufficit, quod non fiat ex forma.

DIFFICVLTAS III.

An euidenter probetur existentia materiæ primæ.

CONclusio prima. a priori nequit euidenter probari existentia materiæ. est Conclusio, in quam ferè omnes consentiunt.

Probatio communis est quia non potest demonstrari per causam efficientem, quia causa efficiens materiæ est Deus, qui ad nullum effectum ad extra necessitatur, non per causam finalem, quia hæc non est assignabilis,

non

non per materialem, & formalem, quia materia, cum simplex sit, non constat ex materia, & forma verum licet, quo ad duas primas causas admitteremus hunc discursum. in ordine ad materialem, & formalem haberem hanc difficultatem, quod licet materia non constet ex alia materia potest tamen probari per aliquod secum identificatum eo modo, quo homo probatur per suam rationalitatem, & licet materia non constet ex forma, adhoc vt tamen probetur per formam sufficit, quod compleatur per ipsam, licet ex ipsa non constet melius, ergo probaretur ex eo, quod non sit euidens hoc identificatum cum materia actu dari, neque actu dari hanc formam actu complentem materiam.

Conclusio secunda. neque a posteriori potest euidenter demonstrari existentia materiæ. defenditur a Baranzano; & hæc Conclusio quia negatiua est negatiuè, idest per solutionem argumentorum, est defendenda.

Ar-

Arguit primò Serbellonus. Datur generatio, & corruptio, ergo datur materia tamquam ſubiectum generationis, & corruptionis. Sed Contra. Antecedens non eſt euidenter demonſtrabile, cum poſſit dari alius modus productionis, & alius modus deſtructionis præter generationem, & corruptionem, nempè modus, quo vna ſubſtantia vertatur in aliam per tranſubſtantiationem, vel modus creationis, qua mediante res producantur ex nihilo.

Dices primò. tranſubſtantiatio eſt modus tantum conueniens Sacramento Euchariſtiæ, vt patet in modo loquendi, ergo non poteſt competere alijs rebus inferioribus. Sed Contra. ſi hoc argumentum fundatur tantum in modo loquendi profectò quo ad rem non eſt efficax. directè tamen dico, tranſubſtantiationem talem ideſt panis, & vini in Sanguinem, & Corpus Chriſti competere tantum Sacramento diuiniſſimo, non ſic tranſubſtantiationem vt ſic, quæ conue-

nit omni mutationi vnius ſubſtantiæ in aliam, ſicuti transformatio vt ſic conuenit omni mutationi vnius formæ in aliam formam.

Dices ſecundò. eſto, quod productio poſſit aliter fieri, quam per generationem, & deſtructio aliter quam per corruptionem; de facto tamen ita non fit, ergo ſaltem de facto (quidquid ſit de poſſibili) dabitur generatio, & corruptio ſicque per ipſas demonſtrabitur materia. Sed Contra. in primis neque de facto eſt euidens, quod productio fiat per generationem, & deſtructio per corruptionem, cum non ſit euidens, quod de facto non detur agens creatiuum, & agens anihilatiuum. deinde directè ſic arguo. medium veræ demonſtrationis non ſolum debet ita ſe habere de facto, *ſed debet ita ſe habere, vt aliter ſe habere non poſſit*, vt patet ex doctrina Ariſtotelica; ſi ergo per Aduerſarios productio ita eſt de facto per generationem, vt poſſit aliter eſſe, non erit medium ſufficiens ad rigoroſam demonſtrationem. Ar-

Arguit idem secundò. dantur dispositiones, sed dispositiones supponunt aliquod subiectum, ergo datur subiectum sicque materia. Confirmat. quia omnis mutatio fit ex pugna contrariorum, sed omnis pugna supponit Campum comunem, in quo fiat pugna, ergo supponit subiectum commune, sicque materiam. Sed Contra: dispositiones, vel recipiuntur in quantitate, quæ est subiectum commune accidentium, vel immediatè vniuntur ipsi substantiæ, non per modum formæ informantis, sed per modum rei inhærentis. ad Confirmationem dicitur, quod omnis illa mutatio supponit subiectum commune, quæ fit per generationem, non quæ fit alio modo, idest vel per creationem, vel per meram transubstantiationem.

Arguit tertiò Ouiedus. quando cibus conuertitur in substantiam aliti, vel destruitur secundùm se totum, vel tantum secundum partem. si primum ergo non potest nutrire, si secundum,

ergo pars, quæ remanet est materia: Sed Contra. in primis si concederetur, quod dum conuertitur in substantiam aliti destrueretur secundum se totum non per hoc inferretur absurdum, quia tunc fit conuersio, & conuersio dicit desitionem termini a quo. directè tamen dicendum est, quod quando cibus conuertitur in substantiam aliti, tunc vel fiat mutatio transubstantiatiua vnius substantiæ in aliam, vel quod Deus anihilet totam substantiam cibi, & creet nouam substantiam carnis.

Instabis. non debemus sine necessitate recurrere in Sacristiam, ergo non debemus pro conuersione cibi in substantiam aliti recurrere ad Deum. Sed Contra. Phylosophus recurrere non debet ad Deum quando alia suppetit causa in creatis, non sic quando alia non suppetit causa. cum in proposito in Homine (saltèm probabilius loquendo) non detur de facto causa creatiua, & anihilatiua. ideò &c. quod si aduersarij velint Animæ

concedere virtutem creatiuam, & anihilatiuam, quod tamen non puto, tunc sine difficultate dicam, hanc creationem, & anihilationem ab Anima prouenire.

Arguit quartò Hurtadus. Idem ferrum modò est calidum, modò frigidum, ergò quia datur subiectum commune caloris, & frigoris; sicque datur materia. Confirmat quia mortuo Christo aliquid de eo remansit, sed non forma, quia hæc recesserat, ergo materia. Sed Contra. quælibet substantia, etiamsi non sit materia, est capax contrariorum accidentium, vt patet in Anima, quæ licet non sit materia, tamen est capax amoris, & odij. ad Confirmationem dico, quod mortuo Christo remansit substantia cadauerica, quæ erat prius Animæ vnita, an autem hæc substantia cadauerica sit materia, nec ne, hoc est de quo modo dubitatur, cum non quælibet substantia sit materia. simili responsione soluitur etiam illud, quod idem Hurtadus dicit de reliquijs Sanctorum,

ctorum, quas nos veneramur; cum enim, dicit ipse, non sint forma, debent esse materia. Soluitur inquam, dicēdo, quod illæ reliquiæ sint quædam substantia, quæ prius fuit vnita cum Anima Sanctorum, quod deindè sint vel materia, vel non, hoc impertinenter se habet ad earum cultum.

Argues tù vltimò. datur substantia complebilis cum cuilibet substantiæ possit addi vlterior perfectio, sed substantia complebilis est materia, sicuti substantia completiua est forma, ergo. hoc argumentum nimis probat, probat enim, omnem substantiam creatam esse materiam, cum omnis substantia creata possit compleri, & vlterius perfici, & cum Anima possit semper vlterius perfici sequeretur, quod esset materia. directè igitur dico, substantiam perfectibilem per modum potentiæ receptiuæ esse materiam, non sic perfectibilem alio modo, & cum non sit demonstrabile dari hic, & nunc substantiam perfectibilem primò modo, ideò nec erit

demonstrabilis euidenter materiæ existentia.

Stet ergo firmum, esse quidem conuenientissimum, & probabilissimum dari materiam primam de facto, at non esse euidens, nec per hoc frustra de ipsa materia multa inquirimus, quia licet non sit euidens habet tamen tantam certitudinem, moralem, vt de ipsa possimus vtiliter plura inuestigare.

DIFFICVLTAS IV.

An materia habeat propriam existentiam, & an possit existere sine forma.

COnclusio prima. materia habet propriam existentiam distinctam ab existentia formæ.

Probant aliqui ex eo, quod materia præcedit formam, per consequens debet existere independenter a forma; sed quia Thomistæ sustinent existentiam esse modum quendam distinctum a re, cuius est modus ideò

possunt

possunt dicere, quod licet materia præcedat formam, tamen potest existere per modum ad se subsequentem, eo modo, quo quia modus vnionis distinguitur a materia, potest subsequi ad ipsam materiam, prius enim est materiam esse, quam materiam vniri.

Probatur igitur aliter sic. in illo instanti naturæ, in quo materia producitur, & antecedit formam non intelligitur produci nec vt mere possibilis, nec vt merè futura, ergo intelligitur produci vt existens, sicque in illo instanti naturæ habet propriam existentiam distinctam ab existentia formæ. Confirmo argumento communi. quia quæ producuntur per diuersam productionem habent diuersam existentiam, cum existentia aquiratur per productionem, sed materia, & forma producuntur per diuersam productionem, cum vna producatur per creationem, alia, in sententia probabiliori; per eductionem, ergo.

Dices; potest duplex causa terminare ad eundem effectum, ergo etiam

poteſt duplex productio terminare ad eandem exiſtentiam, ſicque ex diuerſa productione non bene arguitur diuerſitas exiſtentiæ. Sed Contra. poteſt duplex cauſa terminare ad eundem effectum, quando vtraque cauſa generat, vel vtraque creat, non quando vna generat, alia creat, vt contingit in noſtro caſu.

Concluſio ſecunda. poteſt naturaliter materia exiſtere ſine forma. eſt Ouiedi, Baranzani, & aliorum.

Probatur ab aliquibus hæc Concluſio, quia cum exiſtentia materiæ ſit diſtincta ab exiſtentia formæ, ideò poteſt ab ipſa ſepararari. verum hæc ratio eſt infirma, in primis quia etiam exiſtentia accidentis eſt diſtincta ab exiſtentia ſubſtantiæ, & tamen, iuxta doctrinam communem, Accidens nequit naturaliter exiſtere ſeparatum a ſubſtantia. ſecundò quia hoc, quod eſt duo eſſe diſtincta facit quidem, quod vnum non ſit aliud, at non quod vnum poſſit eſſe ſine alio, vt patet in actu vitali, qui quidem diſtinguitur a

ſuo principio, at non poteſt ſtare ſine ſuo principio.

Probatur igitur aliter ſic. poteſt materia exiſtere ſine diſpoſitione, ergo etiam ſine forma; Antecedens patet, quia diſpoſitio eſt accidens. Probatur Conſequentia. forma ſupponit ſemper aliquam diſpoſitionem; ergo, ſi materia poteſt ſtare ſine diſpoſitione, poterit etiam ſtare ſine forma. Confirmo. magis eſt connexa cauſa prima cum Creaturis quam materia cum forma, ſed cauſa prima exiſtit ſine creatura actuali, ergo etiam materia ſine forma actuali.

Dices contra Confirmationem; Deus, cum ſit cauſa efficiens, eſt cauſa extrinſeca per conſequens non eſt mirum, quod poſſit ſtare ſine ſuo effectu actuali, at materia, cum ſit in genere cauſæ intrinſecæ, non poterit ſtare ſine ſua forma. Sed contra. in primis hæc reſponſio probat etiam, quod materia non poſſit ſtare ſine hac numero forma, cum etiam reſpectu huius numero formæ ſit cauſa

intrinſeca, quod tamen nullus audebit aſſerere. deinde demus actum vitalem reſpectu cuius Intellectus eſt principium intrinſecum, cum ſit illius ſubiectum, tunc arguo ſic. Intellectus poteſt ſtare ſine actu vitali licet reſpectu ipſius ſit cauſa intrinſeca, ergo etiam materia poterit ſtare ſine forma, licet reſpectu formæ ſe habeat vt cauſa intrinſeca.

Arguunt primò. Contra primam. materia eſt pura potentia, ergo non dicit exiſtentiam, cum exiſtentia ſit actus. reſponſio communis, & bona eſt, quod materia ſit pura potentia Phyſicè, quatenus non dicit formam, non verò Metaphyſicè, quatenus non dicat exiſtentiam.

Poſſet tamen abſolutè negari. Antecedens, quia ſicuti poſſe radicale dicit exiſtentiam radicalem, ita poſſe actuale dicit exiſtentiam actualem, & ſic nunquam dabitur a parte rei pura potentia.

Arguunt ſecundò. ſi tam materia, quam forma dicerent propriam exiſten-

ſtentiam, compoſitum eſſet ens rationes, quia componeretur ex duplici exiſtentia, quam benè poſſumus hic retorquere argumentum ſic. ſi tam materia, quam forma dicerent propriam eſſentiam compoſitum eſſet ens rationis, quia conſtaret ex duplici eſſentia. videant Aduerſarij quid reſponderent,

Reſpondeo, ens rationis eſſe illud, quod conſtat ex duplici exiſtentia incompoſſibili, tales autem non ſunt exiſtentia materiæ, & exiſtentia formæ, cum ſimul componant totum.

Inſtabis, implicat, quod exiſtentia materiæ ſit exiſtentia formæ, ergo exiſtentia materiæ eſt incompoſſibilis cum exiſtentia formæ, ſicque adhuc viget argumentum. Sed contra. in hoc ſenſu omnes res eſſent incompoſſibiles ſimul, cum exiſtentia vnius rei non ſit exiſtentia alterius. ſufficit ergò ad hoc vt duo dicantur compoſſibilia, quòd vnum poſſit habere ſimultatem cum alio, licet nequeat

habere identitatem cum ipso, vt patet in Anima, & corpore, quæ simul sunt, licet non sint idem inter se.

Arguunt tertiò. forma tota recipitur in materia, ergo totam se communicat materiæ, ergo communicat materię etiam propriam existentiam. quam benè possemus sit telum remittere. forma totam se communicat materiæ, ergo etiam materiæ communicat propriam essentiam, sicque materia habebit essentiam formæ.

Respondeo, formam communicare materiæ, id, quod iam non præsuponit in materia, cum autem existentiam præsuponat in materia, ideò ipsi non potest talem existentiam communicare.

Arguunt quartò contra secundam. non potest materia naturaliter stare sine quantitate, & sine loco. ergo nec sine forma. responsio communis, est quia quantitas, & locus, sunt duo accidentia coæua materiæ, quod non verificatur de forma. sed quia meo

videri hæc responsio petit principium, quia adhuc obscurum remanet quare illa duo accidentia sint coæua materiæ, non sic debeat esse coæua ipsa forma, ideò.

Respondeo transeat Antecedens. Nego Consequentiam disparitas in ordine ad quantitatem est quia quantitas emanat, in sententia probabiliori, ab ipsa materia adeòque nisi supernaturaliter hæc emanatio potest impediri, at forma non sic emanat &c. in ordine autem ad locum disparitas est, quia implicat intelligere materiam a parte rei nisi sit in mundo, & per consequens nisi sit in loco, si autem materia esset sine forma, adhuc esset in mundo.

Instabis. tam impeditur eductio a materia, si materia remaneat sine forma, quam impediatur emanatio a materia, si materia remaneat sine quantitate, ergo currit semper paritas vtriusque. Sed Contra. adhuc est assignabilis disparitas. quia eductio licet fiat etiam ipsa ex materia non fit

tamen a sola materia, sed debet expectari agens eductiuum, at emanatio ita fit a materia vt fiat a sola materia, per consequens nullum aliud agens creatum expectandum est, & sic statim ac est materia fiet emanatio, non sic statim, ac est materia fiet eductio.

Arguunt quintò. materia est potentia complebilis, ergo non potest dari sine completiuo, ergo non potest dari sine materia. Si Aristoteles viueret rideret, quod qui sic arguunt faueant mundi æternitati, nam ipse posset sic arguere. ab æterno Deus fuit ens productiuum, ergo ab æterno non potuit esse sine suo producibili, ergò ab æterno debuit Deus Mundum producere. vide quid deducatur.

Respondeo ergo, potentiam complebilem sufficienter saluari si respiciat completiuum in actu primò, idest si respiciat aliquid, a quo possit compleri, non vero necesse est, quod aliquid respiciat, a quo actu compleatur, quod sufficit pro nostro intento.

Ar-

Arguunt sextò. natura non potest nisi miraculosè esse sine subsistentia, ergo neque materia sine forma. Consequentia videtur clara, quia tam subsistentia est complementum naturæ, quam forma sit complementum materiæ.

Respondeo, duplicem assignabilem esse disparitatem in primis subsistentia emanat a natura non sic &c. secundò. subsistentia est complementum Metaphysicum, forma autem est complementum physicum magis autem sunt connexa cum rè complementa Metaphysica rei, quam complementa physica.

Instabis. licet calor sit proprietas physica non tamen potest naturaliter separari ab igne, ergo etiam si forma sit complementum physicum, non tamen naturaliter potest stare separata a materia. Sed Contra. aliud est esse complementum, aliud est esse proprietatem, secunda habet maiorem connexionem cum re, quam primum, adeòque paritas allata in instātia non subsistit.

DIFFICVLTAS V.

In quo consistat essentia materiæ.

COnclusio essentia materiæ consistit in potentia receptiua, & sustentatiua simul. quo ad secundam partem videtur esse contra aliquos, sed si benè intelligatur nec vllam habet difficultatem, nec vllum habebit legitimum aduersarium.

Probatur illud est de essentia materiæ, quod facit materiam esse subiectum primum, sed potentia receptiua, & sustentatiua constituit, & reddit materiam subiectùm primum, ergo Probatur Minor. quia constituit materiam recipientem, & sustentantem, sed hæc duo sunt munera subiecti primi ergo. nec valet dicere, quod etiam Anima recipit, nec tamen est materia, quia Anima recipit res spirituales, materia autem res materiales, vna res accidentales, alia, nempè materia, etiam formas substantiales. Ar-

Arguunt primò. potentia receptiua est separabilis à materia, ergò non est de ipsius essentia. Antecedens sic ostendunt. quando materia habet formam ignis non est in potentia ad formam aquæ, ergo potentia receptiua materiæ est ab ipsa separabilis. Vtinam hoc argumentum non probet, quod etiam potentia discursiua sit separabilis ab Homine, quia eo tempore, quo dormit non potest homo discurrere.

Respondeo in primis, quod in multorum sententia possunt stare simul ignis, & aqua, per consequens eo tempore, quo materia habet formam ignis habet potentiam ad formam aquæ. deindè dici potest, quod adhuc habet potentiam ad formam aquæ sed non ad formam aquæ simul coniungendam cum forma ignis, quia non est necesse, quod potentia ad duo extrema sit ad duo extrema simul vnibilia, vt patet de potentia in ordine ad amorem, & odium.

Instabis. quia, dum habetur præ-

motio

motio ad amorem, adhuc datur potentia ad actum odij, etiam stante tali præmotione, ergo etiam, quia data forma ignis, datur potentia ad formã aquæ, datur potentia ad ipsam etiam stante forma ignis. Sed Contra. qui negant duas formas non posse esse simul (quod tamen a me non admittitur) adhuc dare possunt sufficientem disparitatem consistentem in eo, quod præmotio ad amorem excludit tantum infallibiliter odium, non necessariò; at vna forma contraria aliam necessariò excludit.

Arguunt secundò. saltem potentia in ordine ad formas accidentales est accidentalis, ergò hæc non erit de essentia materiæ. qui scit, quod rationalitas est de esentiâ hominis licet sit in ordine ad discursum ridebit de hoc argumento, verum.

Respondeo, potentiam in ordine ad formas accidentales esse ad summum accidentalem terminatiuè, quatenus terminat ad complementum acci-

accidentale, non sic entitatiuè, quatenus cum identificetur cum substantia nempè cum materia, non potest non esse substantialis. addo, quod licet potentia in ordine ad formas accidentales, non sit de essentia materiæ tamen, dummodò potentia receptiua formarum substantialium sit de ipsius essentia; sufficienter saluatur nostra Conclusio, quæ, vtpotè affirmatiua sufficit, quod verificetur in aliquo sensu.

Arguunt tertiò. potentia receptiua, & sustentatiua non identificantur, ergò non possunt ambo esse de essentia materiæ. Consequentia clara est, quia quæ non sunt eadem vni tertiò, nec sunt eadem inter se, & e contra. Antecedens Probatur. respectu Animæ datur potentia receptiua, non sic potentia sustentatiua, cum Anima rationalis sustentetur a Deo concursu creatiuo, ergo vna potentia non identificatur cum alia.

Respondeo in primis, quod potest stare, quod duo non identificentur,

inter

inter se, & tamen identificentur cum tertiò, vt patet in exemplis, quæ afferebam in Logicis de æternitate in qua duo dies identificantur cum ęternitate licet non identificentur inter se, similiter dę immensitate in ordine ad locum; deinde directè dico, respectu Animæ rationalis non dari potentiam sustentatiuam quo ad munus, quatenus respectu ipsius non agit munus sustentandi benè verò quo ad entitatem quia quo ad entitatem est eadem cum potentia receptiua, quæ recipit Animam. habè exemplum voluntas non datur erga verum quo ad munus, quia in ordine ad verum non exercetur munus volendi, benè tamen quo ad entitatem, quia entitatiuè voluntas est eadem cum principio intellectiuo versante circa verum.

Instabis. neque entitatiuè potest dici, quod potentia sustentatiua concurrat ad Animam, cum entitas Animæ sustentetur a Deo, ergo argumentum adhuc est in suo robore. Sed Contra. ly entitatiuè. non cadit su-

pra entitatem Animæ quæ recipitur; sed supra entitatem potentiæ receptiuæ, quæ identificatur cum potentia sustentatiua.

Arguit Ouiedus. esentia materiæ est posse componere per modum partis materialis, ergo non est potentia receptiua: statim respondetur, quod posse componere per modum partis materialis est posse recipere, sicuti posse componere per modum partis formalis est posse recipi, nec est digna Ouiedo, (quem plurimi facio) instantia illa, quam affert de Anima rationali dicendo, quod respectu Animæ rationalis materia non est receptiua. nam nullus Phylosophaster ignorat, Animam rationalem non sustentari quidem, sed tamen recipi in Corpore.

Arguunt vltimò. potest concipi materia etiam si non concipiatur vt receptiua, ergo potentia receptiua non est de essentia materiæ. Antecedens sic probatur. quia dum materia concipitur in ordine ad compositum, concipitur vt constitutiua, non vt receptiua,

ceptiua, cum materia non recipiat compositum, sed tantum formam.

Respondeo, materiam in ordine ad compositum sumptam, esse materiam sumptam genericè, non specificè, quia etiam forma potest considerari in ordine ad compositum, & vt constitutiua; vndè potius, dum examinatur materia, & eius essentia, potius debet attendi ad potentiam receptiuam, quam ad constitutiuam. vel si hęc responsio non placeat dicas, quod posse constituere per modum partis materialis nihil aliud est, quam posse recipere.

DIFFICVLTAS VI.

De appetitu materiæ.

CONclusio prima. materia appetit omnes formas simul.

Probatur. quia materia appetit aliquam formam, ergò etiam omnes formas simul, Consequentia sic ostenditur; quia omnes formæ simul sunt

maius bonum, quam aliqua tantum forma, ergo si appetit aliquam formam, appetit etiam omnes formas simul. Confirmo. licet vna priuatio sit impedimentum ad habendam vnicam formam, tamen hoc non obstante materia appetit aliquam formam, ergo, licet detur impedimentum aliquod, propter quod non possint haberi omnes formæ simul, hoc non obstante materia appetet omnes formas simul.

Dices. disparitas est quia. impedimentum vnius priuationis auferri potest, non sic impedimenta, propter quæ omnes formæ stent simul. Sed Contra. materia cæca est nec aduertit, quod ad habendas omnes formas nunquam tollentur impedimenta, adeòque, etiam si aufferri non possint impedimenta, tamen potest &c.

Conclusio secunda. dum materia habet vnam formam præsentem, appetit etiam absentem.

Probatur. magis pugnant duæ formæ ambæ præsentes, quam forma

ma præſens, & abſens, ſed ex dictis ſupra, materia appetit formas omnes præſentes, cum appetat illas ſimul, ergò. Confirmo. quando duo appetuntur duplici appetitu etiam ſi repugnent poſſunt appeti, quia ſunt reſpectu diuerſorum, ſed forma præſens, & forma abſens appeterentur duplici appetitu, præſens ſcilicet appetitu complacentiæ, abſens appetitu deſiderij, ergò etiam ſi inter ſe repugnarent, poſſunt tamen appeti.

Probatur ſecundò. materia etiam per aduerſarios appetit conſeruationem formæ præſentis pro inſtanti ſubſequenti, ſed hoc modo eſt idem, ac ſi appeteret formam abſentem, ergo. Minorem ſic oſtendo. conſeruatio formæ præſentis pro inſtanti ſequenti nunc non eſt, ergò eſt idem ac ſi nunc eſſet abſens, ſicque &c.

Concluſio tertia. materia magis appetit formas nobiliores, quam ignobiliores eſt contra aliquos.

Probatur deſtruendo fundamentum contrarium. ideò per Aduerſarios

rios materia non appetit formam nobiliorem magis, quam ignobiliorem, quia, cum cæca sit non discernit, quænam sit forma nobilior, quænam ignobilior, sed hæc ratio non valet, quod sic probatur. licet materia non discernat, quænam sit forma, & quænam non sit forma, tamen per aduersarios appetit formam, magis quam aliam rem, quæ non sit forma, ergo licet non discernat, quænam sit forma nobilior, quænam ignobilior, tamen magis potest appetere nobiliorem, quam ignobiliorem. fateor ignorantiam meam. studui per annos inuenire disparitatem, & tamen semper inuentus sum minus habens.

Conclusio quarta. materia appetit etiam formas corruptas.

Probatur. antequam formæ corrumperentur appetebantur a materia, ergò etiam appetuntur postquam sunt corruptæ. Probatur Consequentia quia cum appetitus fundetur in entitate rei appetentis, & entitas materiæ appetentis non corrumpatur

corrup-

corruptis formis, ideò si prius appetebantur, etiam appetuntur post. Confirmo, ita se habet formæ mundum productæ, ac se habeant formæ corruptæ, sed formæ nundum productæ per aduersarios appetuntur, ergo etiam formæ corruptæ maiorem, sic ostendo. tam non sunt actu formæ nundum productę ac non sint actu formæ corruptæ, ergo ita se habent illæ, sicut se habent istæ.

Obijcies primò contrà primam. omnes formæ simul sunt incompossibiles ergo non appetuntur a materia, quia iste appetitus frustraneus foret, cum tenderet in aliquod impossibile. memento, me in Logica dixisse posse hominem tendere in aliquod etiam si sit impossibile, & ideò illa doctrina sufficienter solutum esset hoc argumentum.

Respondeo tamen, omnes formas simul esse incompossibiles ad summum naturaliter, non sic supernaturaliter, vndè appetitus materiæ non est frustraneus, quia tendit in aliquid

com-

compoſſibile, ſi non naturaliter, ſaltem ſupernaturaliter, quod ſufficit pro noſtro intento.

Inſtabis. appetitus materiæ eſt naturalis, ergo non tendit niſi vi aliquid compoſſibile naturaliter. Sed Contra. appetitus materiæ eſt naturalis in hoc ſenſu, quatenus fundatur in natura receptiua materiæ, non ſic quatenus debeat ſemper terminare ad aliquid compoſsibile naturaliter, & ſicuti materia licet non ſit ſpiritualis poteſt appetere aliquam formam ſpiritualem, ita, licet materia non ſit ſupernaturalis, poteſt aliquid appetere compoſſibile tantum ſupernaturaliter.

Arguunt ſecundò. contra ſecundam. ſi materia dum habet formam pręſentem appeteret formam abſentem appeteret deſtructionem formæ præſentis, ſed hoc eſt abſurdum ergo. Maior ſic oſtenditur. Non poteſt ſaltem de lege ordinaria materia habere formam abſentem niſi deſtruatur forma præſens, cum *introdu-*

ctio vnius sit exclusio alterius, ergo si appeteret absentem appeteret etiam &c. Responsio communis, & probabilis est, quod materia vtpotè cæca non aduertat, quod ad introductionem absentis debeat præsens corrumpi.

Respondeo aliter, posse per accidens appeti a materia destructionem formæ præsentis, non quia forma præsens sit mala materiæ, sed quia est impeditiua boni absentis, quod propter nouitatem potest dici maius bonum, quam forma præsens, sicuti ab opposito malum nouum dicitur maius malum, quam malum vetus assiduum propter consuetudinem.

Arguunt tertiò. materia totaliter satiatur per formam præsentem, ergo non appetit absentem. Probationem huius Antecedentis non inueni in auctoribus, puto tamen, quod posset sic ostendi, quia tunc est satiatus appetitus quando est completa capacitas, sed per formam præsentem est completa capacitas materiæ, ergo.

Re-

Respondeo. Nego Antecedens, & Minorem probationis, quia capacitas materiæ extenditur, ad aliquid aliud præter formam præsentem, sicuti enim, quando datur forma præsens dantur priuationes aliarum formarum absentium, ita etiam datur capacitas ad alias formas absentes, quia priuatio est semper in subiecto capaci, secus negatio foret, non priuatio.

Instabis, licet in materia detur priuatio gratiæ tamen non datur in ipsa appetitus ad gratiam, ergo, etiam si dentur in materia priuationes formarum absentium, non per hoc dabitur appetitus ad formas absentes. Sed Contra disparitas est quia gratia non est iuxta materiam, sed supra materiam, adeòque non datur appetitus ad ipsam, & hoc non militat de forma, quæ est iuxta materiam. addo, quod in multorum sententia materia dicit non solum priuationem, sed negationem gratiæ.

Arguunt quartò contra tertiam.

formæ corruptæ nihil ſunt, ergo non poſſunt appeti a materia. facilè reſpondetur, quod nihil ſint actuale, benè tamen poſſibile, ſed quia hæc reſponſio ſupponit tamquam certum id, quod eſt in acri quæſtione, an ſcilicet effectus corruptus ſit reproducibilis, ſeù poſsibilis, ideò.

Reſpondeo, formas corruptas nihil eſſe ad ſummum qua corruptas, non qua formas, materia autem appetit formas corruptas, ſed non illa formalitate, ſub qua corruptæ ſunt, ſed ſub illa ſub qua formæ ſunt. nec quæ dicas, quod ly *nihil* eſt malignantis naturæ, & totum negat, ergo non ſolum afficit formas qua corruptas, ſed etiam qua formas. Sed contra *nihil* eſt malignantis naturæ quatenus totum illud, quod afficit negat, non vero negat omnes formalitates; habe exemplum. malitia, quæ eſt in peccato eſt malignantis naturæ, & tamen non afficit entitatem peccati, ſed tantum formalitatem.

Arguunt quintò, corruptio formæ

eſt

eſt priuatio formæ, ſed priuatio formæ non appetitura materia, ergò neque forma corrupta.

Reſpondeo aliud eſſe, quod materia appetat formam corruptam, aliud quod appetat corruptionem formæ, ſicut aliud eſt, quod anima appetat corpus deſtructum aliud, quod appetat deſtructionem corporis vndè patet ſolemnis æquiuocatio.

Arguunt ſextò. contra vltimam. ex dictis ſupra, materia appetit omnes formas ſimul, ergo non appetit formas potius magis nobiles, quam minus nobiles. vbi enim omnia ſunt ſimul non datur magis, & minus.

Reſpondeo, hoc argumentum nimis probare, nam probaret etiam quod homo, qui appetit gloriam Animæ, & gloriam corporis ſimul non deberet magis appetere primam, quam ſecundam. directè igitur dico, materiam appetere omnes formas ſimul ſimultate temporis, quatenus quantum eſt ex ſe vellet, quod omnes formæ ſimul eſſent eodem tempore,

non sic simultate æqualitatis, quatenus æqualiter sibi complaceret de vna ac de alia forma, de ignobili, ac de nobili.

DIFFICVLTAS VII.

An omnes materiæ sublunares sint eiusdem speciei infimæ.

COnclusio prima. si materia specificatur a formis, non solum dantur diuersæ species materiæ, sed etiam diuersa genera.

Probatur clarè, quia dantur diuersæ formæ diuersitate generica, ergo si materia specificaretur a formis, darentur diuersæ materiæ diuersitate generica, Antecedens sic ostenditur quia in communi sensu Phylosophorum forma substantialis, & accidentalis differunt plusquam specie.

Conclusio secunda. etiamsi materia specificaretur ab aliquo secum identificato, tamen probabilius est, quod dentur plures materiæ specie di-

distinctæ est contra plures.

Probatur in primis quia cum proportione ita debemus loqui de principio passiuo in communi, sicuti loquimur de principio actiuo in communi, sed principium actiuum in communi continet sub se plures species agentium, ergo neque hoc erit denegandum principio passiuo in communi. Confirmo. aliqua materia exigit organizationem, vt est materia formarum viuentium, alia non exigit, vt est materia formarum non viuentium, sed diuersæ exigentiæ diuersificant speciem, ergo.

Dices, materiam formæ viuentis exigere organizationem, non qua materia, sed qua talis materia est, vndè in ratione materiæ, adhuc non arguitur diuersitas. hæc doctrina plausum habet apud eos, qui rem examinant in corticè. vndè sic eam impugno. ad hoc vt rationale distinguatur specie a rugibili, non requiritur quod exigat aliquid diuersum vt præcisè Animal est, sed vt tale Ani-

mal eſt, ergo a pari ad hoc vt vna materia diſtinguatur ſpecie ab alia, non requiritur, quod exigat aliquid diuerſum vt præcisè materia eſt; ſed ſufficit, quod exigat aliquid diuerſum vt talis materia eſt.

Probatur ſecundò. in formis, in cauſis finalibus, in cauſis efficientibus datur diſtinctio ſpecifica, ergo etiam a pari in cauſis materialibus. nec valet dicere, quod materia ſit ſubiectum commune, & per conſequens ſit eadem apud omnia compoſita. contra enim. licet Animal ſit aliquid commune tamen includit ſub ſe plures ſpecies Animalium; ergo etiam licet ſit materia ſubiectum commune, tamen includet ſub ſe plures ſpecies materiarum.

Arguunt primò. vbi non datur diuerſum prædicatum ſpecificum non datur diſtinctio ſpecifica, ſed in materijs non datur diuerſum prædicatum ſpecificum ergò. Minor ſic oſtenditur quia omnes materiæ dicunt idem prædicatum ſpecificum, nempè

prædicatum receptiui.

Reſpondeo, veram eſſe maiorem de prædicatò infimo, non ſubalterno, quod certè in omnibus materijs datur, at remanet aduerſarijs onus probandi, quod prædicatum receptiui ſit prædicatum infimum, & non ſubalternum, quod eſt illud, quod quæritur.

Inſtabis. quando prædicatum ponitur in definitione tamquam differentia, tunc eſt prædicatum ſpecificum infimum, ſed prædicatum, receptiui ponitur in definitione materiæ tamquam differentia, ergò. maior patet in rationalitate reſpectu Hominis, & rugibilitate reſpectu Leonis. Sed Contra. falſa eſt maior nam etiam ſi vellem definire Animal dicerem *Animal eſt principium ſentiendi* & ly *ſentiendi* ſtaret in hac definitione pro differentia. & tamen ly *ſentiendi* eſt prædicatum ſubalternum. addo, quod ſi ſtemus prædicato præciſo receptiui non eſt differentia in materia, quia etiam Anima, &

quantitas sunt duæ res receptiuæ, nec tamen sunt materia.

Arguunt secundò. Materia non est contrahibilis a pluribus differentijs essentialibus, ergò est vna in specie infima. Antecedens sic probatur a Serbellono. quia materia est indifferens ad omnes formas. nescio quomodo hæc consequentia deducatur, quia potius ab indifferentia deducitur quod possit contrahi a diuersis differentijs eo modo, quo ab indifferentia Animalis deducitur, quod posit contrahi a diuersis specie Animalibus; attamen liberalitatis gratia.

Respondeo, falsam esse primam propositionem, quia contrahibilis est a materijs habentibus diuersas exigentias, vt supra probauimus; & certè si materiæ, quæ sunt in composito ignis A., & ignis B. distinguuntur numero, congruens est, quod materiæ, quæ sunt in duplici composito, quorum vnum sit ignis, aliud sit aquæ distinguantur plusquam numero, sicque specie.

Inſtabis. Homo non diſtinguitur ſpecie ab alio Homine, licet Homo Doctus exigat diuerſam organizationem ab Homine ignaro, ergo diuerſæ exigentiæ non variant ſemper ſpeciem. Sed Contra. Homo Doctus ab Homine ignaro diſtinguitur per organizationem accidentalem, at materia v. g. Aſini, & materia Hominis diſtinguuntur per diuerſas organizationes ſubſtantiales, vndè paritas non valet.

Arguunt tertiò. in aliquo prædicato debent compoſita conuenire inter ſe, ſed non conueniunt in ratione formæ, ergo debent conuenire in ratione materiæ, ſicque in ratione materiæ debent eſſe eiuſdem ſpeciei. audi quam ad hominem retorqueatur hoc iaculum. in aliquo prædicato debent conuenire inter ſe Leo, & Homo, ſed non conueniunt in ratione talis Animalis ergo in ratione Animalis, ergo Animal debet eſſe eiuſdem ſpecici infimæ? Prch. Deus pudeat.

Respondeo, sufficere, quod composita conueniant in aliquo prædicato subalterno, nempè in prædicato materiæ in communi, sicuti sufficit, quod duo entia conueniant in ratione entis in communi.

Instabis: sub hac ratione conueniunt etiam composita in ratione formæ, quia conueniunt in ratione formæ vt sic. Sed Contra, concedo totum, quia nullum apparet absurdum, quod tam in ratione materiæ vt sic, quàm in ratione formæ vt sic composita inter se conueniant.

Arguunt quartò. specificatiuum materiæ est completiuum materiæ, sed nihil aliud est completiuum materiæ præter formam; ergo nullum debet assignari specificatiuum materiæ præter formam, sicque independenter a forma nullam habet materia diuersitatem specificam.

Respondeo. specificatiuum Physicum esse completiuum, nempè forma physica est completiua materiæ, at non sic specificatiuum metaphysicum,

cum, quod, cum det essentiam rei, præsuponitur ad quodlibet complementum rei, eo modo, quo in nostra sententia, existentia materiæ præsuponitur ad quodlibet complementum materiæ.

Instabis. materia est entitas physica, ergò debet habere specificatiuum Physicum. Sed Contra. ita materia est entitas physica, vt non excludat essentiam Metaphysicam, cum eadem res sub diuersis titulis possit esse res Logica, Physica, & Metaphysica.

DIFFICVLTAS VIII.

An detur forma substantialis.

CONclusio. probabilissimum est, & conuenientissimum, dari formam substantialem. est communis.

Probatur in primis ex rationibus infra adducendis, quæ licet non habeant totalem euidentiam, vt infra, attamen magnam vim habent ad nostram Conclusionem firmandam. se-

cundò quia talis est sensus omnium ferè Phylosophorum, qui, si simul sint difficilè errant. tertiò quia, forma, & materia sunt duæ res ad inuicem correlatiuæ, & sicuti probabilissimum est, dari materiam, ita pariter dicendum est de forma; quòd autem argumenta facta in fauorem formæ sint tantum probabilia, sic demonstratur discurrendo per singula.

Arguunt primò. Si non daretur forma substantialis, neque daretur compositum per se, quia compositum, seù, quod idem est, vnum per se constat ex potentia, & actu substantiali, ad distinctionem compositi per accidens, quod constat ex potentia, & actu accidentali. Sed Contra. memento, me supra in primò Articulo Physicæ, vna cum Ouiedo innuisse, quod possit dari compositum constans ex duplici substantia, quarum neutra sit materia, vel forma, & hoc compositum esset substantiale, vndè in proposito potest dari vnum per se absque forma substantiali,

stantiali, dummodò vniantur inter se duæ substantiæ.

Arguit alter. aliquando in mutatione mutatur nomen, & definitio; aliquandò mutatur tantum nomen, primum succedit in mutatione substantiali, secundum in mutatione accidentali, sed vbi mutatur nomen, & definitio est quia mutatur forma substantialis, ergo datur forma substantialis. Sed Contra. in primis est falsum, quod in mutatione accidentali non mutetur definitio, quia certè diuerso modo definietur paries albus, ac paries niger, nec valet sophistici instantia, quod scilicet definitio explicet essentiam rei, nam si rem medulitus consideremus, quodlibet accidens habet essentiam suam, quæ in definitione possit explicari,

Quidquid tamen sit de supposito argumenti, adhuc ipso dato, non conuincit euidenter argumentum, nam potest dici, quod in illa mutatione, in qua præter nomen mutatur definitio, vel hoc contingat, quia inibi destruitur

tur substantia (dico substantia non forma substantialis) vel quia ibi detur destructio alicuius accidentis praestantioris, & sicuti, dum substantia transit de non esse ad esse, hoc sufficienter saluatur etiamsi non producatur forma, vt patet in Angelo, ita a pari &c.

Arguunt tertiò. dantur similes, & dissimiles operationes, sed hae secundae non possunt prouenire a materia, cum materia eadem sit in omnibus, ergò a forma, sicque datur forma substantialis. Sed Contra. in primis supponitur, quod supra negatum est, nempè materiam eandem esse in omnibus; deinde directè dico, quod vel istae operationes sunt accidentales, vel substantiales; si primae, quis prohibet dicere, quod proueniant ab accidentibus, quae sunt in ipsis compositis, cum accidentia alijs accidentibus sint proportionata; si secundae tunc dicatur, prouenire a substantia, de qua dicimus, non esse euidens, quod sit forma.

In-

Inſtabis. dantur diſſimiles operationes intrinſecæ, ergo debet dari aliqua forma intrinſeca, quæ illas cauſet, ſi enim aſſignetur aliud agens, non aſſignatur niſi cauſa extrinſeca. Sed Contra. Anima, quæ non eſt formaliter compoſita ex materia, & forma habet operationes intrinſecè diſſimiles ab alijs operationibus alterius cauſæ, & licet cauſa efficiens ſit cauſa extrinſeca, tamen effectus producti ab ipſa poſſunt eſſe intrinſecè diſſimiles, vt patet in actuali diſcurſu, & actuali riſu, qui producuntur efficienter ab Anima.

Arguit quartò Ouiedus. Anima eſt vera forma corporis, ergo eſt euidens dari formam ſubſtantialem. Confirmat quia in vno compoſito datur diuerſa inclinatio, ac ſit in alio, ſed hæc inclinatio non poteſt prouenire niſi a forma diuerſa, ergo. Sed Contra. quidquid ſit de Anima (de qua iuſtum eſt non diſputare) adhuc non conuincet Ouiedus de alijs formis materialibus poteſt enim eſſe priuilegium

uilegium ſpeciale Animæ rationalis, vt inter cæteras ſubſtantias ſit forma; ad Confirmationem dico, quod inclinationes diuerſæ oriuntur a diuerſis entitatibus rerum, non a diuerſis formis, ſecus deberet etiam materia eſſe forma, quia materia habet diuerſam inclinationem, ac habeant aliæ res.

Inſtabis. dependere a materia, etiam in ſola receptione non ſolum non eſt priuilegium, ſed potius eſt onus, ergo malè dicitur, quod ſit priuilegium ſpeciale Animæ rationalis hoc, quod eſt eſſe formam. Sed Contra. etiam ſi eſſet aliqualis imperfectio hoc, quod eſt recipi in materia tamen aliundè ſupletur in eo, quod forma eſt per modum actus perfectiui, & determinatiui potentiæ eo modo, quo ſupletur abundanter imperfectio materiæ per hoc, quod ſit ſubiectum primum, & vltimum.

Arguunt quintò. Quando Leo corrumpitur non corrumpitur materia, quia hæc eſt incorruptibilis, ergò corrumpitur forma, ſicque datur for-

ma

ma ſubſtantialis. ego, qui tenui ſupra, non eſſe euidens, materiam eſſe incorruptibilem facili negotio poſſem ſoluere hoc argumentum, ne tamen videamur auari. dico, quod in corruptione Leonis, vel corrumpitur vnio inter vnam ſubſtantiam, & aliam, vel corrumpitur illud accidens magis præcipuum, quod erat principium operationum in Leone.

Inſtabis. vnio eſt nexus inter materiam, & formam, ſicut actio eſt via inter cauſam, & effectum, ergò ſi in corruptione Leonis corrũpitur vnio ſignum eſt, quod inibi datur forma. Sed Contra. vnio ex vi ſua eſt inter duas partes, quod deindè iſtæ duæ partes ſint materia, & forma, nec nè hoc impertinenter ſe habet in ordine ad vnionem, imò Doctores admittentes vnionem inter naturam diuinam, & humanam, non admittunt illam tamquam inter materiam, & formam.

DIF-

DIFFICVLTAS IX.

An sit euidens, formas substantiales esse diuersæ speciei.

Conclusio. Serbellonus asserens, formas substantiales non esse diuersæ speciei saltem euidenter loquendo, non efficaciter impugnatur.

Primum argumentum, quod affertur contra Serbellonum est quia vna forma magis dependet a subiecto, quam alia, sic magis dependet a subiecto illa forma, quæ exigit maiores dispositiones, & accidentia ad sui conseruationem, quam illa quæ minores exigit dispositiones. Sed contra. Respondet Serbellonus primò, quod hæc maior dependentia non est maior dependentia formæ vt formæ est, sed formæ vt principium efficiens operationum, secundò, quod hæc maior dependentia, cum consistat in maioribus accidentibus, est maior dependentia accidentalis, quæ speciem

sub-

substantialem non variat.

Addo ego, quod, si hoc argumentum valeret, sequeretur, quod etiam Ignis distingueretur specie ab Igne, quia ignis aliquando indiget maioribus dispositionibus ad hoc vt conseruetur, aliquando minoribus; maioribus quando obsidetur a maiori qualitate contraria; minoribus quandò minori qualitate contraria circundatur.

Secundum Argumentum est quia; Animalia inter se speciè differunt, secus deberemus dicere, equum, & hominem esse eiusdem speciei. Respondet Serbellonus Animalia differre inter se ratione diuersorum accidentium, & diuersorum organorum, non verò ratione formæ substantialis, & sic habet intentum, & quia contra ipsum instatur quod diuersa accidentia arguunt diuersas formas substantiales, respondet, hoc non esse verum, quia eidem formæ possunt conuenire diuersa, imò opposita accidentia, & cum accidentia sint veluti formæ in-

stru-

ſtrumenta, cum eadem forma poſſit agere per diuerſa inſtrumenta, ideò ſequitur &c.

Addo, quod in illa ſententia, quam ſupra & ego admiſi, nempè materias eſſe diuerſæ ſpeciei infimæ commodè dici poſſet, quod Animalia diſtinguuntur ſpecie propter diuerſas ſpecie materias, & ſic adhuc remanet Serbellonus illæſus, quo ad formæ vnitatem.

Tertium Argumentum eſt quia accidentia propria cuiuslibet formæ debent eſse ab ipſa forma tamquam a radice, ergò, cum eadem forma non poſſit eſſe radix diuerſorum, imò oppoſitorum accidentium vt de facto videmus, dari ſequitur &c. doctè reſp. Serbellonus, omnem formam ſe habere tamquam cauſam Vniuerſalem, & poſſe continere accidentia oppoſita, vt patet in Anima, quæ in vna parte corporis trahit ſecum calorem, in alia indiget frigore addit, quod licet accidentia habeant in ſe aliquam oppoſitionem, tamen illam non habent

vt contenta in causa, quia causa, cum sit radix omnium, sine oppositione respicit omnia.

Possem addere, (aliquid semper in speculatiua est addendum de nostro) formam substantialem producere immediatè tantum vnum accidens principalius, a quo postea deriuant alia accidentia, & sic in hoc casu argumentum, quod cadebat super humeros substantiæ cadit super humeros accidentis, de quo subleuando pro nunc Serbellonus non curat.

Tertium argumentum est quia saltem mixta debent distingui specie a corpore simplici, cum in mixto sint quatuor qualitates attemperatæ, non sic in corpore simplici, in quo non possunt esse nisi duæ. Respondet noster Auctor, quod forma mixti, & forma corporis simplicis non distinguuntur nisi in concreto, quatenus vna est in subiecto requirente quatuor qualitates, alia in subiecto requirente tantum duas, & quia instatur, quod sic esset idem mixtum cum

cor-

corpore simplici, respondet, per hoc vnum ab alio distingui, quod in mixto sunt actu quattuor qualitates attemperatæ, in corpore autem simplici non sunt actu sunt tamen in virtute.

Instatur de nouo, quod videtur imperceptibile quomodo ignis contineat in sua virtute frigus, humiditatem, & alia huiusmodi accidentia. Respondet, hoc videri imperceptibile in concreto non in abstracto, in concreto quia nomine concreti venit illud subiectum imò illud totum, quod de facto est principium proprietatum ignis, non sic in abstracto, quia ignis in abstracto præscindit ab hoc, & ab illo composito, ab hoc & ab illo concreto, per consequens omnia accidentia in se continet. possem addere, quod illa forma, quam nos vocamus ignem, sic vocamus propter operationes ignis quas sentimus; cæterum eandem in specie vocaremus aquam, si operationes aquæ nobis innotescerent.

Quid

Quod si contra arguentes sic insurgerem? demus Animam quæ eliciat duplicem actum virtutis, & duplicem actum vitij, & aliam Animam, quæ eliciat vnicum actum vitij, & vnicum actum virtutis tunc sic arguitur. istæ duæ Animæ licet prima habeat quatuor qualitates quorum duæ opponuntur duabus, & alia habeat tantum duas non distinguerentur specie, ergo etiam forma mixti, & forma simplex non debent distingui specie licet in vna sint attemperatæ quatuor qualitates, in alia verò tantum duæ.

Quartum argumentum, est quia si formæ substantiales non differrent neque differentia viuentia à non viuentibus vndè, Leo, & lapis non differrent nisi numero, & hoc nihil absurdius cogitari potest. fateor, hoc argumentum maiorem efficaciam præseferre, quam alia. Respondet tamen intrepidò Serbellonus, quod viuentia non differunt a non viuentibus quo ad substantiam, benè autem

que

quò ad essentiam, quia hæc licet radicaliter dessumatur a materia, & forma, formaliter tamen, & proximè dessumitur a diuersitate, & dispositione accidentium, quæ quia diuersa sunt in viuentibus, ac sint in non viuentibus, ideò &c. ita ipse.

In mea sententia sustinente specificam diuersitatem vnius materiæ ab alia, facilius, & plausibilius soluitur hic nodus, dicendo viuentia a non viuentibus distingui quo ad substantiam per diuersam materiam, & hoc minus offendit aures, quam responsio Serbelloni.

Quintum argumentum sic posset construi. dantur diuersa agentia substantialia, ergò producunt diuersas formas substantiales. posset respondere, quod sicuti omnia agentia substantialia in ratione formæ non distinguuntur specie, ita non producunt terminum diuersum in specie, quia tamen hæc responsio videtur asserere pro se id, quod est in quæstione, ideò aliter.

Respondeo, posse eandem rem in specie contineri in virtute plurium diuersorum agentium, sic calor continetur in virtute solis, Ignis, & in sententia aliquorum etiam lucis, vndè licet concederemus, dari agentia substantialiter diuersa, (dumodo hæc diuersitas non intelligatur de forma) adhuc possent producere formas substantiales specie non distinctas, & forma substantialis diceretur effectus æquiuocus, quia posset produci ab agentibus specie diuersis.

Instabis. non datur accidens, quod possit produci ab agente quodcumque illud sit, ergo multo minus datur substantia quæ possit produci ab agente quodcumque illud sit. Sed Contra. in primis nos non dicimus, quod forma substantialis possit produci a quocumque agente, sed tantum a pluribus agentibus. deindè adhuc est sufficiens ratio disparitatis consistens in eo, quod non debet concedi accidenti illud priuilegium, quod conceditur substantiæ, posse autem

produci a pluribus causis priuilegium est, quia in defficientiam vnius potest ab alia produci, ne, si vna cadat, tota productio vadat.

DIFFICVLTAS X.

An præter formas particulares detur forma Vniuersalis.

COnclusio prima. opinio Platonis asserentis in toto mundo dari quandam Animam grandem, quæ ipsum mundum informet est plusquam somnium, & in hoc Plato fuit maior bellua, quam illa a se ficta in mundo.

Probatur quia somnium est, mundum esse Animal, ergo etiam Somnium est, mundum informari ab Anima grandi.. Antecedens sic euidenter ostenditur. Quia Somnium est, mundum per omnes suas partes moueri, cum saltem mundi centrum immobile sit, ergo somnium est mundum esse Animal, quia quo ad omnes partes suas moueri deberet Confirmo.

mo. data hac Anima grandi Platonis, deberent etiam in ipsius sententia dari etiam aliæ Animæ particulares tunc sic arguitur. actiones Animæ cum sint actiones vitales, & immanentes debent posse tantum prouenire ab vnico principio, sed in tali casu in quo essent in vnoquoque composito duæ Animæ, possent prouenire a duplici principio, ergo.

Conclusio secunda. opinio Serbelloni affirmantis, dari præter formas particulares etiam formam Vniuersalem (quam tamen dicit non esse Animam, ne Platonizet) sapit potius nouitatem, & superfluitatem, quam metaphysicam repugnantiam.

Pro aduertentia debet sciri Serbellonum in vnoquoque composito admittere formam Vniuersalem præter particularem ex eo, quod videret plures effectus aliquando prouenire a composito, qui erant contra inclinationem formæ particularis, vt quando ad impediendum vacuum aqua ascendit, & Aer descendit, quia

& est contra inclinationem Aquæ ascendere, & contra inclinationem Aeris descendere. vndè dicit Serbellonus, quod, ad hoc vt possit fieri contra inclinationem huiusmodi rerum, debet dari in vnoquoque composito forma Vniuersalis, quæ hos effectus violentos producat.

Quod igitur hæc opinio sapiat nouitatem patet in eo, quod nullus Auctor, quem viderim, vno excepto Serbellono, hanc formam Vniuersalem in toto mundo admittat, quod etiam inducat superfluitatem, vel saltem inducatur sine necessitate sic euincitur, quia sine hac forma Vniuersali possunt saluari omnes illi effectus, quos admittit Serbellonus, & sic ostenditur, quia in vnoquoque composito datur duplex inclinatio vna Vniuersalis ad bonum commune, alia particularis ad bonum particulare; licet ergo ascensus in Aqua, & descensus in Aere sit contra inclinationem particularem istorum entium, erit tamen iuxta inclinationem Vniuersalem

uerſalem ad bonum commune, quod debet præponderare ad bonum particulare, & ſic ratione huius inclinationis vniuerſalis cauſabuntur illi effectus, quos Serbellonus refundit in hanc formam Vniuerſalem.

Dices primò. Inclinatio eſt alicuius formæ inclinatio, ergo inclinatio vniuerſalis erit inclinatio formæ vniuerſalis, ergo ex hac inclinatione vniuerſali deducetur forma vniuerſalis. Sed Contrà fateor, omnem inclinationem eſse alicuius formæ inclinationem, at non inclinationem vniuerſalem eſse inclinationem formæ vniuerſalis, non enim hæc inclinatio eſt vniuerſalis entitatiuè, quatenus fundetur in entitate vniuerſali, ſed tantum terminatiue, quatenus eſt ad terminum vniuerſalem, nempè ad bonum commune.

Dices ſecundò. inclinatio vniuerſalis, & inclinatio particularis ſunt duæ inclinationes oppoſitę, ergo dari in eodem non poſsunt, Antecedens certum eſt, quia inclinatio vniuerſa-

lis aquę tendit sursum, inclinatio particularis tendit deorsum. Sed Contra. in primis inclinatio Vniuersális se habet ad particularem veluti magis, & minus, nam inclinatio vniuersalis aquæ non solum dicit tendere sursum, sed etiam deorsum, pro vt se offeret ocasio boni communis, vndè non opponitur particulari, licet dicat aliquid plusquam particularis. secundò dicò, quod ad summum sunt duæ inclinationes oppositæ terminatiuè, quatenus sunt ad terminos oppositos eo modo, quo opponuntur terminatiuè in Anima inclinatio ad amorem, & inclinatio ad odium.

Dices tertiò. Mundus non est agregatum per accidens, ergo debet dari vna forma Vniuersalis substantialis, quod ipsum reddat vnum per se. aliqui non erubescunt concedere, quod mundus sit aliquod agregatum per accidens, sed quia hoc pugnat cum eius definitione, in qua dicitur, quod *mundus sit ordinata rerum congeries*. nec mundus posset dici ordinatus, si

esset

eſset aliquod agregatum per accidens. ideò alio modo reſpõdeo, quod, ad hoc vt mundus non dicatur vnum agregatum per accidens, ſufficit, quod partes dicantur inter ſe ordinatæ ad faciendum vnum totum, non vero requiritur, quod in vnoquoque toto ſit forma, ſeù natura Vniuerſalis. hæc ſunt, quæ poſsunt dici ad hoc vt ſuſtineatur, nullam eſse neceſſitatem huius formæ, ſeù naturæ vniuerſalis. videamus nunc quid contra Serbellonum, cui addere potes Baranzanum, poſſit addi.

Arguitur primò. quia forma, ſeù natura particularis opponitur cum Vniuerſali, ergo non poteſt ſimul ſtare in eodem ſuppoſito cum ipſa. Antecedens oſtenditur, quia vna tendit deorſum, alia ſurſum, vña ad bonum particulare, alia ad commune. hoc argumentum puto, quod ſupra ſufficientiſſimè ſit ſolutum, quando dicebamus illas duas inclinationes ab Auctoribus oppoſitæ ſententiæ admiſsas non opponi niſi terminatiuè. attamen.

Respondeo, non dari oppositionem nisi respectu, eiusdem, quia tamen hęc oppositio, seù verificatio oppositorum esset respectu diuersarum inclinationum, ita quod deorsum tendere esset respectu inclinationis, seù formæ particularis aquę; sursum tendere respectu inclinationis, seù formæ vniuersalis eiusdem ideò &c. addo, quod cum natura sit principium motus, & quietis disiunctiuè sufficit, quod vel aqua tendat deorsum, vel sursum pro diuerso tempore, & etiam ex hoc capite tollitur contradictio.

Instabis. verificaretur, quod eadem aqua tenderet sursum, & deorsum, ergo foret oppositio respectu eiusdem, sed Contra. eadem aqua sumpta sub duplici forma tenderet sursum, & deorsum, & sic semper esset diuersa tendentia respectu diuersorum.

Arguitur secundò. forma non distinguitur ab essentia compositi, sed essentiæ sunt multæ, & particulares;

 ergò

ergò etiam formæ ſunt multæ, & particulares. Antecedens conſtat. quia forma eſt pars conſtitutiua compoſiti.

Reſpondet Serbellonus formas non diſtingui ab eſsentia compoſiti, quia tamen eſsentia alia eſt particularis, alia Vniuerſalis, ideò dicit, eſsentias particulares multas eſse, non ſic eſsentias Vniuerſales.

Inſtabis. implicat, poni eſsentiam in aqua niſi fiat aqua, ergo implicat, poni eſsentiam in aliquo ſuppoſito particulari, niſi fiat particularis. Sed Contra. implicat poni eſsentiam in aqua niſi fiat aqua vt eſt pars mundi, & quia, vt eſt pars mundi debet potius eſse natura communis, & tendere in bonum commune, quam in bonum particulare, ideò &c.

Arguitur tertiò. entia naturalia realiter diſtinguuntur inter ſe, ergo non poſsunt habere eandem numero formam. facili negotio ſe expedit ab hoc argumento Serbellonus, dicendo, quod hæc forma, ſeù natura Vni-

uerſalis ſit vna vnitate continuationis, non vna vnitate numerica rigoroſa, ſed quia hoc modo coincidit cum alijs Doctoribus, qui non habent difficultatem in eo, quod res habeant vnitatem continuationis, ideò melius.

Reſpondetur, quod entia naturalia diſtinguuntur realiter inter ſe ratione formæ particularis, non in ratione formæ, ſeù naturæ Vniuerſalis, eo modo, quo (ſemper ſalua proportione) perſonæ diuinæ diſtinguuntur realiter inter ſe ratione relationis, non ratione naturæ.

Inſtabis. licet Animal ſit commune Homini, & Leoni, tamen realiter loquendo Animal, quod eſt in Homine non eſt idem cum Animali, quod eſt in Leone, ergo etiam licet hæc forma Serbellonica ſit communis, tamen illa, quæ erit in vno particulari non erit eadem cum illa, quæ eſt in alio particulari. noſter Auctor, qui tenet, hanc naturam eſſe vnam tantam vnitate continuationis eſt ſcopulus

lus illæſus ad hoc argumentum. cæterum etiam ſuſtinendo vnitatem rigoroſam, dicitur, eſſe palmarem diſparitatem in eo, quod Animal licet ſit gradus communis eſt tamen realiter identificatus cum particulari, at natura iſta communis non identificatur cum illo particulari, in quo eſt.

Arguitur quartò. dum deſtruitur aliquod particulare deberet deſtrui etiam natura iſta communis, quæ in ipſo eſt, hoc ſuppoſito ſic dicitur. non poteſt eadem natura numero deſtrui, & non deſtrui, ergo hæc natura, quæ in vno deſtrueretur, in alio non, non eſſet eadem numero.

Reſpondeo, hanc naturam eſse quidem vnam realiter, at virtualiter multiplicem cum ſit in diuerſis ſuppoſitis, adeòque propter hanc virtualem multiplicitatem poſse dari caſum, quod in vno deſtruatur in alio non ſic, eo modo, quo explicabimus de corpore replicato ſuo loco.

DIFFICVLTAS XI.

An duæ formæ possint eße in eodem subiecto.

COnclusio prima. quantum spectat ad formas substantiales præcisè etiam naturaliter possunt duæ formæ substantiales esse in eadem materia est contra aliquos ab Ouiedo citatos, qui nolunt, neque supernaturaliter posse duas formas substantiales esse simul.

Probatur. quantum spectat ad substantiam præcisè Ignis, & Aqua possunt esse simul, ergo duæ formæ naturaliter possunt simul esse. Antecedens ostenditur, tum ex illo axiomate. *Inter substantias non datur contrarietas*, tum etiam quia posse frigefacere, & posse calefacere non magis opponuntur quam posse amare, & posse odisse, sed posse amare, & posse odisse de facto stant simul in Anima, ergò.

Dices. ex eo, quod poſſint ſtare ſimul calor actualis, & frigus actuale non benè deducitur, quod poſſint ſtare ſimul actualis amor, & actuale odium, ergò etiam ex paritate ex eo, quod poſſint ſimul eſſe poſſe amare, & poſſe odiſſe, non bene deducitur; quod poſſint ſimul eſſe poſſe frigefacere, & poſſe calefacere. Sed Contra. actualis amor, & actuale odium non pugnant reſpectu ſubiecti, cum poſſint eſſe in eodem ſubiecto poſſum enim ego amare Petrum, & odiſſe Paulum vndè paritas pro nobis facit. imo ſicuti non implicat amor, & odium reſpectu eiuſdem obiecti, licet ſub illa formalitate, ſub qua amatur, non odio habeatur, ita non implicabit reſpectu eiuſdem ſubiecti duplex forma, licet ſub illa formalitate, ſub qua habet vnam, non habeat aliam.

Probatur ſecundò. minus repugnant duæ formę ſubſtantiales, quam repugnent duæ formæ, quarum vna ſit ſubſtantialis, alia accidentalis, ſed naturaliter poſſunt ſimul eſſe duæ

formæ,

formæ, quarum vna ſit ſubſtantialis, alia accidentalis ergo etiam &c.

Dices. forma accidentalis eſt ſubordinata formæ ſubſtantiali, adeòque poteſt ſimul ſtare cum ipſa, at vna forma ſubſtantialis non eſt ſubordinata alteri, cum ſint æquè nobiles, & per conſequens paritas non valet. Sed Contra. in primis cum vna forma ſubſtantialis ſit nobilior alia optimè vna poterit alteri ſubordinari; deindè vellem ſcire, quamnam ſubordinationem habeat albedo ad formam ſubſtantialem parietis? cum nec ſit paſſio, nec diſpoſitio ipſius. quod ſi dicas, habere hanc ſubordinationem, quod ſcilicet albedo ordinetur ad faciendum compoſitum accidentale, etiam duæ formæ ſubſtantiales ordinantur ad faciendum vnum compoſitum ſubſtantiale, quod ſit æquiualenter duplex.

Concluſio ſecunda. ſi aliqua eſt repugnantia, quod duæ formæ hic, & nunc non poſſint naturaliter eſſe in eodem ſubiecto probabilius eſt, quod

proue-

proueniat ex diuino decreto. est nonnullorum apud Ouiedum, & Serbellonum.

Probatur. quia, vt supra diximus non oritur repugnantia ex forma substantiali præcisè, neque oritur repugnantia ex accidentibus contrarijs, quod sic probatur. actus amoris, & actus odij sunt duo accidentia, & tamen naturaliter possunt stare in eadem Anima; actus scientiæ, & actus opinionis sunt duo accidentia, vel totaliter opposita, vel ferè opposita, & tamen, vt constat in tractatu de scientia possunt stare in eodem Intellectu, ergò ex vi duorum accidentium oppositorum non oritur hæc repugnantia, sicque a primò ad vltimum, si aliqua datur nunc repugnantia, tota oritur ex decreto diuino.

Dices. non est conueniens concedere ligno, vel alteri subiecto materiali tantam capacitatem, quantam concedimus Animæ, & Intellectui, ergo probationes supra datæ non valent. Sed Contra. in primis si benè

res

res examinetur capacitas receptiua nudè ſumpta non dicit perfectionem, ſed potius imperfectionem, cum ſit potentialitas, quæ imperfectio eſt. deindè etiam ſi concedamus ligno, & alteri ſubiecto materiali tantam capacitatem extenſiuam ſicuti concedimus Animæ,& Intellectui,non tamen concedimus tantam capacitatem intenſiuam, ideſt capacitatem ad terminos ita nobiles, nec perfectio debet extenſiuè, & perticaliter menſurari.

Arguunt primò contra primam. in quocumque genere debent dari ſua oppoſita, ſicuti in quocumque genere dantur ſua connexa, ergò etiam in genere formæ ſubſtantialis debent dari oppoſita,quæ ſimul eſſe non poſſint. Antecedens huius Argumenti poſſet tota conſcientia negari, quia multa dantur quæ non habent oppoſita contraria, vt patet in luce, in ſono, in odore, & in coloribus, exceptis albo, & nigro. deindè.

Reſpondeo, in quocumque genere debere

debere dari sua opposita, vel compatibilia, vel incompatibilia; prima sunt contraria, & disparata, secunda sunt contradictoria, vndè ad summum, quæ opponuntur contradictoriè non poterunt esse simul.

Instabis. debet dari quædam proportio inter opposita, ergò si contradictoria neque supernaturaliter poterunt esse simul, contraria saltem naturaliter nequeunt esse simul. Sed Contra. proportio tunc descendit, quando stamus in eadem linea, sic si daretur vnum contradictorium maius alio tunc posset descendere proportio, at dum transimus de linea ad lineam non debet seruari proportio, sicut de facto contingit in nostro casu, nam fit descensus de linea contradictorij ad lineam contrarij.

Arguunt secundò. compositum, in quo essent duæ formæ foret ens rationis, quia constaret ex duplici natura incompossibili; rursus foret in duplici specie, quia forma ignis distinguitur specie a forma ferri, & sic

etiam

etiam eſset vnum, & multiplex, quæ omnia videntur abſurda. plura ſunt inuolucra plures exigentia, reſponſiones.

Reſpondeo, debere probari ab Aduerſarijs, quod illæ duæ formæ ſubſtantiales ſint incompoſſibiles, & tunc, quandò hæc erunt, dabo ipſis manus. ad ſecundum. ſic arguo. magis diſtinguitur ſpecie materia a forma quam duæ formæ inter ſe, ergò ſi hoc non obſtante materia poteſt ſimul eſſe cum forma, quia eſſet tantum in duplici ſpecie inadequatè, ita a pari in noſtro caſu. ad id, quod tertiò additur. quid mirum, quod compoſitum ſit reſpectu diuerſorum vnum, & multiplex, cum etiam aduerſarij admittentes, poſſe in eodem compoſito dari plures formas accidentales debeant velint, nolint, dicere, quod compoſitum ſit vnum, & multiplex vnum in materia, multiplex in forma.

Inſtabis. contra primam reſponſionem. id, quod conſtaret duplici natura metaphyſica, v. g. rationalitate,

&

& rugibilitate esset ens rationis metaphysicum, ergo etiam id, quod constaret duplici natura physica, idest duplici forma esset ens rationis Physicum. Sed contra stò semper constans in doctrina, & dico, quod sicuti non est ens rationis Metaphysicum nisi illud, quod constat duplici natura Metaphysica incompossibili (talis est rationalitas respectu rugibilitatis) ita a pari non erit ens rationis Physicum nisi illud, quod constabit duplici natura physica incompossibili. *hoc opus, hic labor est.*

Arguunt tertiò. De composito, vbi esset forma ferri, & forma ignis essent veræ istæ duæ propositiones: *ferrum est Ignis. Ignis est ferrum.* Sed hoc videtur absurdum ergo. Maior sic ostenditur. quia de supposito, in quo sit natura diuina, & natura humana verificantur istæ duæ propositiones. *Deus est Homo. Homo est Deus.* ita a pari. Subtilissimus meus Lector concedebat totum argumentum, quia dicebat, sicuti in secundò casu prop-

ter

ter communicationem idiomatum, erant veræ illæ duæ propositiones, ita a pari &c.

Respondeo tamen negando Antecedens. ad probationem dico, esse ferè euidenter falsam. Consequentiam, nam si quis vellet consequenter Phylosophari deberet sic dicere est bona hæc propositio. *Deus est Homo*, ergò est bona hæc alia. *Ignitum est ferreum*, quia sic vtraque est in concreto, at primæ propositiones de Christo sunt in concreto, secundæ sunt in abstracto.& ad hoc facit, quod sicuti est falsa hæc propositio. *Humanitas est Diuinitas* licet in Christo sit vera hæc alia. *Deus est Homo* ita a pari erit falsa hæc *Ignis est ferrum* licet possit dici. *Ignitum est ferreum*.

Arguunt quartò. Forma substantialis aduenìens alteri formæ substantiali faceret cum ipso ens per accidens, sed hoc est absurdum, ergò. Maior probatur quia, quod aduenit enti completo facit ens per accidens, sed stia secunda forma substantialis aduenirret

niret enti completo ergo faceret vnum per accidens.

Reſpondeo, quod illud, quod aduenit per modum ſubſtantiæ ſemper facit ens ſubſtantiale, vel deindè adueniat enti completo, vel non, & ſicuti, ſi forma accidentalis adueniat enti completo per formam ſubſtantialem, ab ipſo non tollit rationem entis ſubſtantialis, multò minus tollet hanc rationem forma ſubſtantialis adueniens.

Arguunt quintò. diuerſæ formæ ſubſtantiales ſunt radicaliter oppoſitæ, cum ſint radices diuerſorum accidentium, ergo formæ ſubſtantiales naturaliter opponentur, ſicque &c.

Reſpondeo, formas ſubſtantiales, vt præcisè radices ſunt, non opponi niſi terminatiuè, iuxta ſupra explicata de Anima rationali, ſecus potentia libera deberet opponi cum ſe ipſa, quia potentia libera ita poteſt facere hoc, vt poſſit etiam facere oppoſitum.

Inſtabis. magis opponitur cum alio, quod opponitur radicaliter, quam

quam quod opponitur actualiter; ergo si radices opponuntur secundum actus, seù terminos multo magis opponentur inter se secundum radices. Sed Contra. est falsum Antecedens nam quod opponitur cum alio actualiter opponitur etiam radicaliter, cum actus non destruat potentiam, seù radicem. vel si hoc non placet, dicas radices magis opponi in hoc sensu quatenus non p osunt oppositiones radicales neque a Deo tolli, non vero in hoc alio sensu, quatenus magis pugnent, quam actus. imò illi Auctores, qui sustinent, neque diuinitus posse simul stare actuale peccatum, cum actuali gratia dicunt etiam, quod stent simul posse peccare, & posse esse in gratia, licet opponantur radicaliter.

Arguunt sextò contra secundam. est indignum Phylosopho recurrere ad diuinum decretum, vbi non est necessitas, ergo non debet dici, quod repugnantia simultatis duarum formarum proueniat a decreto.

Respondeo in nostro casu adesse necessitatem, quia, vt supra probauimus, nullum aliud fundamentum habemus assignandi repugnantiam de simultate duarum formarum.]

DIFFICVLTAS XII.

Quomodo producantur formæ materiales.

COnclusio. probabilibus rationibus dici potest, quod formæ materiales educantur a materia, & per consequens non creentur.

Prima ratio est quia. materia est subiectum primum, ergo est subiectum primum in ordine ad aliquid, ergo in ordine ad formas sicque formæ educuntur a subiecto. hæc ratio non excedit limites probabilitatis, quia posset quis dicere, materiam esse subiectum primum receptionis, non verò eductionis, eo modo, quo se habet respectu Animæ.

Dices, debet dari aliqua distinctio

inter

inter Animam rationalem, & alias formas materiales, ergò, etiam si respectu Animæ rationalis materia sit subiectum tantum receptionis, tamen hoc dici non debet respectu aliarum formarum materialium. Sed Contra. dignum, & iustum est, quod detur distinctio inter Animam rationalem, & inter reliquas formas materiales, at non consistit hęc distinctio in eo, quod intenditur ab Aduersarijs, sed in eo, quod vna sit spiritualis, & producatur a Deo, aliæ sint materiales, & possint produci ab agentibus creatis.

Secunda ratio, est quia. dantur de facto formæ materiales productæ ab agentibus creatis, sed de facto non datur agens creatiuum, (quidquid possibiliter possit fieri) ergo de facto formæ materiales educuntur. neque hæc ratio euidentiæ titulum meretur, nam quod de facto non detur Agens creatiuum probabilius tantum est, non verò euidens, cum non detur argumentum hoc conuincens, nam illud cariosum *ex nihilo nihil fit* tot habet

bet explicationes, quot sillabas.

Dices. de facto videmus, quod ignis non fit ex nihilo, sed ex ligno, ergo de facto ex nihilo nihil fit, sicque de facto formæ educuntur. Sed Contra. Ignis fit ex ligno (possent dicere Ingeniosi) tamquam ex alimento, non ex subiecto, & si agens ignefactiuum agit circa lignum, est quia vult prouidere igni pabulum suum. vel dicas, quod si agit circa lignum, agit circa ipsum tamquam circa subiectum receptionis, non eductionis.

Tertia ratio est quia solet dici, quod formæ contineantur in materia, ergo etiam quia formæ educuutur a materia. Sed Contra. non omne, quod dici solet euidens est, cum rumor Vulgi certitudinem non gignat. deindè potest explicari, quod formæ contineantur in materia, tamquam in subiecto receptionis.

Dices. in quonam continentur formæ si non continentur in virtute materiæ. dico, contineri etiam in virtute materiæ, sed an de facto ab ipsa

educantur euidens non est. cæterum, quò ad virtutem actiuam dico, illas contineri in virtute agentis.

Quarta ratio est quia. formæ dicuntur materiales propter ordinem ad materiam, ergo quia de facto ab ipsa educuntur. soluitur hæc ratio duplici modo, in primis dicendo, quod formę dicuntur materiales non propter ordinem ad materiam, sed propter ordinem ad quantitatem, vt videbimus in tractatu de Anima, cæterũ, si materiale esset per ordinem ad materiam etiam Anima rationalis foret materialis, quia dicit ordinem ad materiam, & tamquam ad subiectum receptiuum, & tamquam ad instrumentum, mediante quo ipsa Anima elicit suas operationes. secundus modus respondendi est quia, adhuc forma posset dici materialis, licet actu non educatur a materia, dumodò possit educi ab ipsa, eo modo, quo denominatur causa actiua licet actu non agat, dumodo possit agere.

Hæc sunt, quæ possunt vtcumque

adduci

adduci in probationem,& solutionem simul probationum. fateor tamen, magis probabile esse quod formę materiales educantur a materia, tum quia sic est sensus communis omnium DD., tum quia rationes adductæ licet euidentiam non gignant, tamen magni roboris sunt. videamus modo quid in contrarium possit afferri.

Arguunt primò. illud creatur, quod est per se subsistens, sed forma materialis substantialis per se subsistit, ad differentiam formæ materialis accidentalis ergo. qui tenent, formam substantialem non habere propriam subsistentiam facili negotio se expediant ab hoc argumento: ne autem timidi videamur.

Respondeo maiorem posse negari, quia creatio est productio ex nihilo sui, & subiecti,& per consequens subsistentia impertinenter se habet ad creationem, vel generationem, cum & ipsa sit indifferens ad vtrumque. addo, quod, cum probabilius loquendo subsistentia emanet ab ipsa natura,

ideò ſupponit ipſam naturam iam productam, per conſequens non poteſt denominare talem productionem, vel creatiuam, vel generatiuam.

Arguunt ſecundò. dependentia a materia non tollit anihilationem, ergo nec tollit creationem, quia contrariorum eadem eſt diſciplina. Antecedens ſic oſtendunt. demus caſum, quod Deus ſeparet formam a materia, & deinde anihilet formam, tunc ſequitur anihilatio etiam ſi forma illa a materia dependeat, ergo anihilatio non tollitur per dependentiam a materia, ſicque per talem dependentiam nec tolletur creatio.

Reſpondeo, caſum ſe ipſum deſtruere nam ſupponit, formam actu ſeparatam a materia actu ab ipſa pendere, quod eſt falſiſſimum.

Inſtabis. dependentia rei eſt de intrinſeco conceptu rei, ergo forma etiam ſi ſeparata a materia adhuc retinebit ſuam dependentiam ab ipſa. Sed Contra. Antecedens eſt verum

de dependentia radicali, non de actuali, eo modo, quo diſcurſus radicalis eſt de intrinſeco conceptu hominis, non ſic diſcurſus actualis.

Arguunt tertiò. forma quando producitur tota producitur, ergo nihil ſui ſupponit, ergo non generatur, quia generatio fit ex aliquo ſui.

Reſpondeo quod forma quandò producitur tota producitur quo ad eſſe actuale, quatenus nihil actuale formæ exiſtebat antè in materia, non ſic tota ſecundùm eſſe potentiale, quia reperitur forma in potentia materiæ ſecundum ſuum eſſe educibile.

Inſtabis. licet forma illa, quæ creatur inueniatur in eſſe potentiali agẽtis creatiui, non per hoc dicitur, quod generatur, ergo etiam licet forma reperiatur ſecundum ſuum eſſe potentiale in materia, non poteſt tamen dici, quod generetur. Sed Contra. diſparitas eſt quia generatio dicitur, quod debeat eſſe *ex aliquo ſui & ſubiecti* non vero *ex aliquo ſui, & agentis*, vnde eſſe potentiale in virtute

esset verum sequeretur quod sicut ly *est* verificatur de priuatione, verificaretur etiam ly *principiatum*, & sic vera esset hæc propositio, *Priuatio est forma*. quia principiatum nihil aliud est, quam forma.

Probatur igitur in primis argumento vsitato sed efficaci. non esse priuationis est formaliter quid positiuum, ergo si priuatio principiaret per sui non esse principiaret per esse positiuum, quod est absurdum. Confirmo. quia etiam per Aduersarios priuatio principiat quando est terminus a quo, sed terminus a quo est semper per modum immobilis, dicitur enim, quod homo discedat a loco, non locus ab homine, ergo.

Dices, quod non esse priuationis est quid positiuum concomitanter, quatenus secum trahit esse formę, non verò formaliter. Sed Contra. præter ea, quæ concomitanter dicit aliquid, debet semper assignari illud, quod formaliter dicit, quia consequens, & accessorium supponit principale, ergo

præter

præter illud, quod concomitanter dicit non esse priuationis, debet assignari id, quod formaliter dicit, sed non esse priuationis non potest dicere de formali nisi aliquod positiuum, sicuti esse priuationis dicit de formali aliquod negatiuum, ergo adhuc viget argumentum.

Probatur secundò. alio argumento a me olim instructo sic. Priuatio principiat vt opposita formæ, sed si principiaret quando non est, non principiaret vt opposita formę, ergo. Maior ab omnibus admittitur; Minor sic declaratur. tantùm abest, quod non esse priuationis opponatur formæ, vt potius non esse priuationi stet simul cum forma, ergo, si priuatio principiaret per sui non esse, non principiaret vt opposita formæ.

Dices, quod adhuc non esse priuationis opponitur formæ, quia non esse priuationis principiat recedendo, & forma principiat accedendo. Sed Contra. clarissimè sic refutatur hæc Doctrina. non esse priuationis

inter Animam rationalem, & alias formas materiales, ergò, etiam si respectu Animæ rationalis materia sit subiectum tantum receptionis, tamen hoc dici non debet respectu aliarum formarum materialium. Sed Contra. dignum, & iustum est, quod detur distinctio inter Animam rationalem, & inter reliquas formas materiales, at non consistit hęc distinctio in eo, quod intenditur ab Aduersarijs, sed in eo, quod vna sit spiritualis, & producatur a Deo, aliæ sint materiales, & possint produci ab agentibus creatis.

Secunda ratio, est quia. dantur de facto formæ materiales productæ ab agentibus creatis, sed de facto non datur agens creatiuum, (quidquid possibiliter possit fieri) ergo de facto formæ materiales educuntur. neque hæc ratio euidentiæ titulum meretur, nam quod de facto non detur Agens creatiuum probabilius tantum est, non verò euidens, cum non detur argumentum hoc conuincens, nam illud cariosum *ex nihilo nihil fit* tot ha-

bet

bet explicationes, quot fillabas.

Dices. de facto videmus, quod ignis non fit ex nihilo, sed ex ligno, ergo de facto ex nihilo nihil fit, sicque de facto formæ educuntur. Sed Contra. Ignis fit ex ligno (possent dicere Ingeniosi) tamquam ex alimento, non ex subiecto, & si agens ignefactiuum agit circa lignum, est quia vult prouidere igni pabulum suum. vel dicas, quod si agit circa lignum, agit circa ipsum tamquam circa subiectum receptionis, non eductionis.

Tertia ratio est quia solet dici, quod formæ contineantur in materia, ergo etiam quia formæ educuutur a materia. Sed Contra. non omne, quod dici solet euidens est, cum rumor Vulgi certitudinem non gignat. deindè potest explicari, quod formæ contineantur in materia, tamquam in subiecto receptionis.

Dices. in quonam continentur formæ si non continentur in virtute materiæ. dico, contineri etiam in virtute materiæ, sed an de facto ab ipsa

 edu-

educantur euidens non est. cæterum, quò ad virtutem actiuam dico, illas contineri in virtute agentis.

Quarta ratio est quia. formæ dicuntur materiales propter ordinem ad materiam, ergo quia de facto ab ipsa educuntur. soluitur hæc ratio duplici modo, in primis dicendo, quod formę dicuntur materiales non propter ordinem ad materiam, sed propter ordinem ad quantitatem, vt videbimus in tractatu de Anima, cæterũ, si materiale esset per ordinem ad materiam etiam Anima rationalis foret materialis, quia dicit ordinem ad materiam, & tamquam ad subiectum receptiuum, & tamquam ad instrumentum, mediante quo ipsa Anima elicit suas operationes. secundus modus respondendi est quia, adhuc forma posset dici materialis, licet actu non educatur a materia, dumodò possit educi ab ipsa, eo modo, quo denominatur causa actiua licet actu non agat, dumodo possit agere.

Hæc sunt, quæ possunt vtcumque adduci

adduci in probationem,& solutionem simul probationum. fateor tamen, magis probabile esse quod formę materiales educantur a materia, tum quia sic est sensus communis omnium DD., tum quia rationes adductæ licet euidentiam non gignant, tamen magni roboris sunt. videamus modo quid in contrarium possit afferri.

Arguunt primò. illud creatur, quod est per se subsistens, sed forma materialis substantialis per se subsistit, ad differentiam formæ materialis accidentalis ergo. qui tenent, formam substantialem non habere propriam subsistentiam facili negotio se expediant ab hoc argumento. ne autem timidi videamur.

Respondeo maiorem posse negari, quia creatio est productio ex nihilo sui, & subiecti,& per consequens subsistentia impertinenter se habet ad creationem, vel generationem, cum & ipsa sit indifferens ad vtrumque. addo, quod, cum probabilius loquendo subsistentia emanet ab ipsa natura,

ideò ſupponit ipſam naturam iam productam, per conſequens non poteſt denominare talem productionem, vel creatiuam, vel generatiuam.

Arguunt ſecundò. dependentia a materia non tollit anihilationem, ergo nec tollit creationem, quia contrariorum eadem eſt diſciplina. Antecedens ſic oſtendunt. demus caſum, quod Deus ſeparet formam a materia, & deinde anihilet formam, tunc ſequitur anihilatio etiam ſi forma illa a materia dependeat, ergo anihilatio non tollitur per dependentiam a materia, ſicque per talem dependentiam nec tolletur creatio.

Reſpondeo, caſum ſe ipſum deſtruere nam ſupponit, formam actu ſeparatam a materia actu ab ipſa pendere, quod eſt falſiſſimum.

Inſtabis. dependentia rei eſt de intrinſeco conceptu rei, ergo forma etiam ſi ſeparata a materia adhuc retinebit ſuam dependentiam ab ipſa. Sed Contra. Antecedens eſt verum

de

de dependentia radicali, non de actuali, eo modo, quo discursus radicalis est de intrinseco conceptu hominis, non sic discursus actualis.

Arguunt tertiò. forma quando producitur tota producitur, ergo nihil sui supponit, ergo non generatur, quia generatio fit ex aliquo sui.

Respondeo quod forma quandò producitur tota producitur quo ad esse actuale, quatenus nihil actuale formæ existebat antè in materia, non sic tota secundum esse potentiale, quia reperitur forma in potentia materiæ secundum suum esse educibile.

Instabis. licet forma illa, quæ creatur inueniatur in esse potentiali agẽtis creatiui, non per hoc dicitur, quod generatur, ergo etiam licet forma reperiatur secundum suum esse potentiale in materia, non potest tamen dici, quod generetur. Sed Contra. disparitas est quia generatio dicitur, quod debeat esse *ex aliquo sui & subiecti* non vero *ex aliquo sui, & agentis*, vnde esse potentiale in virtute

agentis impertinenter se habet ad generationem, vt talis est.

Arguunt quartò, quia impossibile videtur, quod materia, quæ est adeò imperfecta contineat in sua potentia formas, quæ sunt perfectiores se ipsa, cum continens debeat esse vel perfectius, vel saltem æquale suo contento.

Respondeo, non esse impossibile, quod potentia passiua contineat aliquid perfectius se, imo est conuenientissimum, tum quia sic melius discriminatur a potentia actiua, tum quia potentia passiua perficitur per id, quod continet; perfectibile autem debet esse imperfectius perfectiuo.

Instabis. potentia actiua perficitur per suum effectum, cum per ipsum melius elucescat, & tamen non est imperfectior suo effectu, ergò falsum est, quod perfectibile debeat esse imperfectius suo perfectiuo. Sed Contra. potentia actiua perficitur tantum extrinsecè, cum effectus productus sit extra causam, at materia perficitur intrinsecè, cum forma educta

adhuc maneat intra materiam, per consequens &c.

DIFFICVLTAS XIII.

An priuatio principiet quandò est.

CONclusio. priuatio principiat quando est. aduerte, priuationem formæ esse carentiam formæ in subiecto apto, & differre a negatione per hoc, quod ista est carentia formæ in subiecto inepto.

Probant aliqui hanc Conclusionem. quia priuatio principiat quandò est principiatum, nempè forma, ergo principiat quando est, quia propositio, quæ verificatur de secundò adiacente verificatur de primò. *Sed* bona pace. tum inuentores, tum sectatores huius probationis rem tantum examinarunt in cortice. nam si bene consideretur. ly *est* non est adiacens, quod adiaceat priuationi, sed cadit supra formam nempè super ly *principiatum* cæterum si argumentum

esset verum sequeretur quod sicut ly *est* verificatur de priuatione, verificaretur etiam ly *principiatum*, & sic vera esset hæc propositio, *Priuatio est forma*. quia principiatum nihil aliud est, quam forma.

Probatur igitur in primis argumento vsitato sed efficaci. non esse priuationis est formaliter quid positiuum, ergo si priuatio principiaret per sui non esse principiaret per esse positiuum, quod est absurdum. Confirmo. quia etiam per Aduersarios priuatio principiat quando est terminus a quo, sed terminus a quo est semper per modum immobilis, dicitur enim, quod homo discedat a loco, non locus ab homine, ergo.

Dices, quod non esse priuationis est quid positiuum concomitanter, quatenus secum trahit esse formę, non verò formaliter. Sed Contra. præter ea, quæ concomitanter dicit aliquid, debet semper assignari illud, quod formaliter dicit, quia consequens, & accessorium supponit principale, ergo

præter

præter illud, quod concomitanter dicit non eſſe priuationis, debet aſſignari id, quod formaliter dicit, ſed non eſſe priuationis non poteſt dicere de formali niſi aliquod poſitiuum, ſicuti eſſe priuationis dicit de formali aliquod negatiuum, ergo adhuc viget argumentum.

Probatur ſecundò. alio argumento a me olim inſtructo ſic. Priuatio principiat vt oppoſita formæ, ſed ſi principiaret quando non eſt, non principiaret vt oppoſita formę, ergo. Maior ab omnibus admittitur; Minor ſic declaratur. tantùm abeſt, quod non eſſe priuationis opponatur formæ, vt potius non eſse priuationi ſtet ſimul cum forma, ergo, ſi priuatio principiaret per ſui non eſse, non principiaret vt oppoſita formæ.

Dices, quod adhuc non eſse priuationis opponitur formæ, quia non eſſe priuationis principiat recedendo, & forma principiat accedendo. Sed Contra. clariſſimè ſic refutatur hæc Doctrina. non eſse priuationis

durat vsque quo durat forma, vt omnibus constat, ergo non esse priuationis non principiat recedendo sicque non opponitur cum forma.

Arguunt primò: Priuatio debet principiare quando est eius principiatum, nempè forma, sed quando est eius principiatum, nempè forma priuatio non est, secus simul essent duo contradictoria, ergò priuatio principiat quando non est.

Respondeo, priuationem principiare in eodem instanti temporis, quò est forma non in eodem instanti naturæ, quia prius est, saltem prioritate naturæ, quod materia deserat terminum a quo, quam quod aquirat terminum ad quem, nempè formam, & sic etiam principiatio priuationis præcedit principiationem formæ saltem pro instanti naturæ. ad id, quod additur de contradictorijs facilè saluantur in ordine ad diuersa instantia naturæ sicuti in eodem instanti temporis, & in diuerso instanti naturæ saluatur esse lucis, & non esse lucis in sole,

sole, cum non sit necesse, quod priuatio lucis in sole præcedat lucem præcedentia temporis.

Instabis. principiatio priuationis non præcedit neque præcedentia naturæ principiationem formæ, ergò corruit doctrina hucusquè allata. Antecedens sic explicatur. quia magis præcedit fieri ipsum factum esse, quam vnum principium in fieri aliud principium in fieri, sed fieri non præcedit factum esse nisi per instans naturæ, ergò vnum principium in fieri non præcedit natura aliud principium pariter in fieri. Sed Contra. dico, quod magis præcedit fieri ad factum esse; quam vnum fieri aliud fieri, sed semper in eadem linea præcedentiæ naturæ, eo modo, quo magis præcedit primum decretum Dei ad quintum decretum, quam ad secundum, & tamen vtrumque præcedit tantum præcedentia naturæ.

Arguunt secundò. priuatio principiat per modum termini a quo, ergò principiat quando non est, nam ter-

minus a quo debet derelinqui.

Respondeo hoc argumentum nobis fauere, quia proprium est termini a quo esse veluti immobilis, vt supra. & si vt dicit obiectio, terminus a quo debet derelinqui, certè debet esse, quia id, quod non est derelinqui non potest.

Arguunt tertiò. totum id, quod affirmatur de forma debet negari de priuatione, ergò si de forma dicitur, quod principiet quandò primò est, de priuatione debet dici, quod principiet quandò primò non est.

Respondeo. Nego Antecedens quia sicuti ratio principij, quod affirmatur de forma, non negatur de priuatione, cum ambæ sint principium, ita non est necesse, quod principiare quando est negetur de priuatione, licet affirmetur de forma.

Instabis. ratio principij in forma est positiua, in priuatione est negatiua, ergo si in forma est ratio principians quando primò est, in priuatione debet esse ratio principians, quando

do primò non eſt. Sed Contra. accepto verba inſtantiæ, & dico, quod, ſi in priuatione datur ratio principij negatiui, priuatio principiat quando eſt, nam ipſum eſſe priuationis eſt negatiuum.

Arguunt quartò. priuatio eſt pura negatio, ergo ſi priuatio deberet principiare per ſuum eſſe, deberet principiare per non eſſe, cum eſſe negationis nihil aliud ſit, quam non eſſe. latet ſerpens in floribus.

Reſpondeo, priuationem eſſe negationem (loquor lato modo) formæ non negationem ſui, quatenus debeat dicere ſe ipſam non eſſe.

Inſtabis. priuatio eſt in ſe ipſa negatiua, ergo non tantum dicit negationem formæ, ſed etiam ſui. Sed Contra. multiplicamus æquiuoca. verum eſt, priuationem eſſe in ſe ipſa negatiuam, at non eſt in ſe ipſa negatiua ſui, ſicuti peccatum eſt in ſe ipſa negatiuum, at non eſt in ſe ipſo negatiuum ſui, ſed negatiuum debitæ rectitudinis. imò ſi priuatio eſſet nega-

tiua sui esset positiua, quia negatio negatiui est aliquid positiuum.

Arguunt quintò. quia priuatio principiat per modum termini recedentis, sed quod recedit non est, ergò principiat quando non est.

Respondeo, in primis esse improprium dicere, priuationem esse per modum termini recedentis, quia terminus non recedit, sed nos recedimus a termino.

Respondeo secundo. Concessa Maiori Distinguo Min. quod recedit non est permanenter, Concedo. vltimò. Nego Minorem, & Consequentiam quod recedit non est permanenter, quia si recedit ab hoc subiecto non perseuerat in hoc subiecto, est tamen vltimò, quia si debet recedere ab hoc debet vltimò attingere hoc.



DIF-

DIFFICVLTAS XIV.

An ad faciendum compositum requiratur vnio distincta a materia, & forma.

COnclusio prima. qui diceret, quod tam feruens litigium inter Complexistas, & modalistas sit quæstio de nomine, nouum diceret, non tamen quid improbabile.

Ad maiorem cognitionem aduerte, Complexistas sic vocari, quia volunt, quod compositum consistat in solo complexo ex materia, & forma, absque eo, quod mediat alia entitas, seù modus distinctus vniens has duas partes. Modalistæ e contra sic vocantur, quia inter materiam, & formam admittunt quendam modum superadditum, qui se habet veluti nexus vniens materiam cum forma.

Probatur igitur Conclusio. Complexistæ dicunt, quod complexum non distinguitur a partibus simul vnitis,

tis, sed etiam modalistæ dicere debent, quod vnio non distinguatur a partibus simul vnitis, ergo est quæstio de nomine. Minorem sic ostendo. si modalistæ dicerent, quod vnio distingueretur a partibus simul vnitis deberent dicere, quod vnio distinguatur a partibus, & ab vnione, & per consequens, quod distinguatur a se ipsa, sed hoc est manifestum absurdum ergo. dicamus ergo rem duobus Verbis. Complexum distinguitur a partibus diuisim sumptis; vnio distinguitur a partibus diuisim sumptis; Complexum non distinguitur a partibus sumptis secundum esse complexum; Vnio non distinguitur a partibus sumptis secundum esse vnitum, nè supra vnionem detur alia vnio. vide si in re conueniunt.

Dices primò. Complexistæ volunt, quod sit vera hæc propositio. *Complexum est materia, & forma* non verò, quod sit vera hæc propositio. *Vnio est materia, & forma*, ergo discrepant inter se de re, non de puro nomine.

Sed

Sed Contrà, ſic diſcurro. non poteſt dici a Complexiſtis, quod complexum ſit materia, & forma niſi ſumatur complexum adequatè, ſed etiam ſi vnio adequate ſumatur poteſt dici, quod vnio ſit materia, & forma, quia vnio adequatè ſumpta importat, & ſe ipſam, & partes, quæ nominantur vnitæ, ergo pro nunc ſemper currit paritas.

Dices ſecundò. Complexiſtæ nolunt, quod complexum ſit entitas ſimplex benè autem modaliſtæ ſic vocant modum ſuum. Sed Contra. in eo ſenſu, in quo complexum non eſt ſimplex, neque eſt ſimplex, vnio, ſeù modus ergo adhuc ſumus in eadem naui. Antecedens ſic oſtendo. Complexum non eſt aliquod ſimplex, quia afficit vtrumque partem, & vtramque denominat vnitam, ſed etiam vnio afficit vtramque partem, & vtramque denominat vnitam, ergò.

Dices tertiò. Complexiſtæ non dicunt, quod complexum mediet inter materiam, & formam ſicuti dicunt moda-

modalistæ de modo, ergò semper currit paritatis euersio. Sed Contrà. modus ideò mediat inter vtramque partem, quia est id, quo vniuntur partes, sed etiam complexum est id, quo vniuntur partes, ergò potest dici, quod etiam complexum mediat.

Conclusio. ex suppositione, quod lis sit de re, non de nomine, probabilius est, vnionem consistere in modo superaddito, quam in puro complexo.

Probatur in primis ex illis duobus solitis argumentis, quod scilicet materia sit indifferens ad hanc potius, quam ad illam formam, sicque indiget aliquo determinatiuo superaddito, secundò quia implicat transire a contradictorio in contradictorium, scilicet de non esse vnito ad vnitum sine aliqua mutatione.

Prima responsio est, quod hæc indifferentia tollatur effectiuè ab agente, & formaliter a forma. Sed Contra. adhuc sumus in tenebris; nam agens non potest tollere effectiuè

hanc indifferentiam niſi potius vniat hanc, quam illam formam, & ecce reincidit quæſtio, an dum potius vnit hanc, quam illam, vniat per Vnionem diſtinctam, an per merum complexum, non enim præſens difficultas eſt, an vnio fiat effectiuè ab agente, quia hoc ab omnibus ſupponitur, ſed eſt difficultas, an vnio facta ab agente ſit vnio conſiſtens in ſimplici entitate, an in complexo.

Quo ad ablationem indifferentiæ formalem factam a forma. ſic arguo. non poteſt forma tollere formaliter hanc indifferentiam a materia, niſi prius ſit in materia, ſed hoc modo adhuc ſumus in dubio, quia quærendum adhuc, an forma ſit in materia per vnionem diſtinctam, an per complexum, ergò a primò ad vltimum reſponſiones non ſubſiſtunt.

Probatur ſecundò ſic, ſi Vnio identificaretur cum partibus ſimul ſumptis identificaretur etiam cum ipſis vt diſunitis, ſed hoc ſecundum eſt abſurdum, ergò. Probatur maior a paritate

ritate quia rationalitas identificatur cum Anima, identificatur cum ipsa, vel sit vnita corpori. vel non, ergo etiam si vnio identificaretur cum partibus idẽtificaretur cum ipsis, vel vnitæ sint, vel separatæ, & studui, & iterum studeo, & vix inuenio disparitatem expectabo doceri. quia quotidiè discimus.

Docuit me aliquando ingeniosus quidam dicendo, disparitatem esse; quia rationalitas identificatur cum Anima in quocumque statu, at vnio non identificatur cum partibus nisi in vnico statu, nempè in statu coniunctionis, adeoque, hoc ablato, non tenetur amplius identificari cum ipsis. Sed Contra. in primis gratis omninò asseritur, quod in vno casu datur identitas pro omni statu, non sic in alio. deindè alio modo arguo sic. identitas fundatur in entitate rei, non in statu rei, & sic quia perseitas identificatur cum substantia quo ad entitatem, identificatur cum ipsa vel sit in statu possibilitatis, vel in statu actuali-

tualitatis, ergo ſtatus non variat identitaem, quandò non eſt variata entitas.

Arguunt primò. materia dicit inclinationem ad formam, ergo non requiritur ad hoc vt vniatur cum ipſa aliqua vnio ſuperaddita. Boni Catholici poſſent ſic retorquere argumentum. Homo dicit inclinationem ad Beatitudinem, ergo ad ipſam obtinendam non requiruntur merita ſuper ſuperaddita? iam incidimus in hæreſim.

Reſpondeo ergo, inclinationem non poſſe obtinere ſuum intentum, niſi poſitis requiſitis, ſic ignis habet inclinationem ad comburendum, nec tamen comburit niſi poſita aproximatione ad paſſum, lapis habet inclinationem ad centrum, nec tamen deſcendit niſi poſita ablatione impedimentorum, & dato concurſu Dei, in propoſito ergò, licet materia habeat inclinationem ad formam, non tamen cum ipſa vnietur, niſi poſita glutina vniente.

Arguunt secundò. ad faciendam vnionem sufficit aproximatio, ergo non requiritur vnio distincta. hoc idem argumentum fieri potest contra Complexistas nam si sufficit aproximatio, non est cur recurrant ad complexum.

Respõdeo in primis. Nego Antecedens, nam per hoc; quod ego sim proximus Domui non per hoc facio complexum tamquam materia, & forma cum domo. deindè etiam hoc admisso adhuc remanet inquirendum, an hæc aproximatio aliquid sit distinctum a partibus.

Instabis. licet aproximatio sit quid distinctum a partibus præcisè sumptis, non est tamen quid distinctum a partibus, vt aproximatis. Sed Contra. verbis antiquis antiqua est danda responsio. adhuc remanet explicandum per quid partes dicantur aproximatæ, adeoque supponitur id, quod est in quæstione.

Instabis denuò. sufficienter dicuntur aproximatæ per actionem agen-

tis,

tis, adeoque fruſtrà confingitur entitas diſtincta. Sed Contra. quidem per actionem agentis aproximantur effectiuè, non ſic formaliter, vndè adhuc, per quid formaliter ſint vnitæ inquirendum eſt.

Arguunt tertiò, materia, & forma ex vi ſuæ productionis ſunt determinatæ ad vnionem, ergo ad hoc vt vniantur non requiritur modus ſuperadditus. Confirmant, quia materia, & forma ſunt duo immediatè componentia; ergo inter ipſa non mediat aliquis modus diſtinctus.

Reſpondeo, materiam, & formam ex vi ſuæ productionis eſſe determinatas ad hoc vt vniantur. Sed buſilis eſt in quærendo, vtrum ſint determinatæ ad hoc vt vniantur per modum diſtinctum, an verò per complexum ad Confirmationem. dico, materiam, & formam eſſe duo immediatè componentia per modum partis, quatenus inter ipſas nihil mediat, quod ſe habeat per modum partis.

Arguunt quartò. Modus iſte vni-

tur immediatè cum materia, & forma ergò etiam materia, & forma vniuntur inter se. responsio communis est quia modus iste se habet *vt quo* & quia *procedendo de quod in quo sistendum in quo* ideo &c. sed hæc responsio meo videri patitur manifestam instantiam, in eo, quod etiam forma se habet *vt id quo* cum sit id, quo completur materia, & tamen ad hoc vt ipsa vniatur requiritur modus distinctus.

Respondeo ergo, quod modus se habet vt *id quo vltimum* adeoque sicuti ad primum non est quærendum aliud, ita ad vltimum, at forma est quidem id quo, sed non vltimum, cum vltra ipsam adhuc debeat quæri vnio ipsius.

Instabis. etiam iste modus, cum sit effectus agentis est id, quod producitur, ergo si ad materiam, & formam quia se habent vt *id quod* requiritur modus distinctus etiam &c. Sed Contra. fateor, modum in ratione effectus esse id, quod, sed quia in ratione

effectus pendet a causa efficiente, ideò ad summum requiretur actio distincta inter agens, & hunc modum, non verò alia vnio distincta inter materiam, & formam.

Arguunt quintò. vel iste modus præcedit formam, vel non, si sic; est otiosus quia ante formam non potest causare vnionem, si non; ergo non est causa, quod forma sit in materia, quia causa debet præcedere effectum.

Respondeo, hunc modum præcedere formam præcedentia naturæ, quia est causa, quod ipsa vniatur cum materia, nec per hoc est otiosus, secùs quælibet causa esset otiosa, quia quælibet causa debet præcedere suum effectum præcedentia naturæ.

Quæres hic an iste modus sit vnus, vel multiplex. sustinet Hurtadus debere esse multiplicem, quia debet dari modus pro forma, & alius modus pro materia. verum relicta quæstione de facto. saltem nullam video necessitatem duplicandi hunc modum, sicut enim eadem pix potest

vnire duo ligna, idem clauus duas tabulas, eadem copula duos terminos, nempè ſubiectum, & prædicatum, non video, cur etiam eadem vnio non poſſit vnire materiam, & formam. addo, quod, ſi ſemel admitteremus duplicem modum vnionis vnum pro materia, alium pro forma poſſemus, etiam admittere duplicem modum in actione vnum pro cauſa, alium pro effectu.

DIFFICVLTAS XV.

An totum diſtinguatur a partibus.

COnclusio. totum diſtinguitur a partibus etiam æquè primò importatis.

Probatur. totum cauſatur a partibus etiam æquè primò importatis, ergo diſtinguitur a partibus ęquè primò importatis. conſequentia conſtat, quia cauſatum, maximè ſi ſit phyſicum, diſtinguitur a cauſante. Antecedens ſic probatur; quia totum non poteſt

poteſt cauſari ab ambabus partibus niſi ambæ ſint in recto, quia ſi vna tantum eſſet in recto, vna tantum eſſet cauſa, & alia eſſet effectus.

Dices verum eſt, quod effectus debet diſtingui realiter a cauſis extrinſecis, non ſic a cauſis intrinſecis. Sed Contra. clarè oſtenditur falſitas huius Doctrinæ in ipſa forma, quæ eſt cauſa intrinſeca materiæ, & tamen realiter diſtinguitur ab ipſa materia, ergo, etiam ſi partes ſint cauſæ intrinſecæ totius, tamen diſtinguentur à toto.

Probatur ſecundò. per Aduerſarios totum diſtinguitur realiter a partibus diuerſo modo importatis, ergo etiam a partibus æquè primò importatis. Probatur conſequentia, quia varietas importandi non variat identitatem, ſic quia albedo diſtinguitur a pariete, diſtinguetur ab ipſo, vel importetur in recto, vel in obliquo, vt patet conſideranti.

Dices. non poteſt dari caſus, quod accidens importetur in recto, cum

enim ſit minus nobile, quam ſubſtantia ſemper importabitur in obliquo. Sed Contra. ſi demus caſum, quod debeat æquè primò produci ſubſtantia a ſubſtantia, & accidens ab accidente tunc æquè importabitur accidens reſpectu ſui effectus, ac ſubſtantia reſpectu ſui.

Arguunt primò. totum ſic diſtinctum a partibus, vel eſt compoſitum, vel ſimplex, non ſimplex, quia non poſſet vocari totum, non compoſitum, quia deberet conſtare partibus, & de his partibus iterum quæreretur, an totum diſtinguatur a ſuis partibus, & ſic in infinitum. hoc argumentum æquè illos vrget, qui dicunt totum diſtingui a partibus diuerſo modo importatis, nam de hoc toto ſic diſtincto adhuc quæritur, an conſtet partibus.

Reſpondeo hoc totum eſſe compoſitum cauſatum, ad id, quod additur dico, non debere dari proceſſum in infinitum quia totum vt cauſatum non diſtinguitur a partibus vt cauſatis,

tis, ſed tantum a partibus vt cauſantibus adeoque incongruè quæritur, an totum cauſatum diſtinguatur a partibus vt cauſatis.

Inſtabis. in Homine non datur duplex Anima, quarum vna ſit cauſans, alia ſit cauſata, ergo partes cauſantes, & cauſatæ ſunt idem inter ſe, ergò, ſi totum non diſtinguitur a partibus vt cauſatis, nequè a partibus vt cauſantibus. demus laudem Deo, hæc inſtantia fortis eſt. Sed Contra. verum eſt, in Homine non dari duplicem Animam, quarum vna ſit cauſans, alia cauſata, attamen eſt etiam verum, quod totum reſultans ex Anima; & corpore ſit totum cauſatum, & propter hanc cauſationem phyſicè paſſiuã diſtinguitur a ſuis partibus cauſantibus actiuè.

Cęterum hęc inſtantia vrget etiam illos, qui admittunt totum diſtingui a partibus diuerſo modo importatis, nam etiam illi tenentur dare rationem, an Anima vt cauſans, diſtinguatur ab Anima vt cauſata, ſicque, an

detur in Homine duplex Anima?

Arguunt secundò. Quandò partes ambæ importantur in recto non sunt amplius causæ compositi, ergò non amplius distinguuntur a composito, Antecedens sic ostendunt. in tantum causant compositum, in quantum se causant ad inuicem, sed non se causant ad inuicem, nisi vna importetur in recto, alia in obliquo, in recto causans, in obliquo causata, ergo quando ambæ importantur in recto non sunt amplius causæ.

Respondeo Negando Antecedens propter rationem attactam in probationem. ad id, quod additur dico, dari duplicem causationem in partibus, vnam, quam exercent ad inuicem, aliam quam exercent erga compositum, in prima causatione vna importatur in recto, alia in obliquo, in secunda omnes partes importantur in recto, quia omnes sunt causæ totius.

Instabis. licet detur hæc duplex causatio attamen non est duplex causatio distincta realiter, ergo neque resul-

resultabit totum distinctum realiter. Sed Contra. quidquid sit de Antecedenti. Nego Consequentiam, adhoc enim vt resultet terminus distinctus realiter, sufficit si detur causatio distincta virtualiter, cum distinctio virtualis in ordine ad effectus æquiualeat reali.

Illi, qui sustinent, totum distingui a partibus diuerso modo importatis hac eadem instantia premuntur, nam causatio ad inuicem, & causatio in totum facta a partibus diuerso modo sumptis non distinguuntur realiter, sicque non deberet resultare terminus distinctus realiter.

Arguunt tertiò. Nihil datur in toto præter partes vnitas, cum nihil detur in toto præter materiam; formam, & vnionem, ergo totum non distinguitur a partibus vnitis.

Respondeo in toto, vt causato, seu resultante dari causationem passiuam, qua mediante sufficienter distinguitur a partibus, in quibus datur causatio actiua, & sicuti qui sustinent,

idem causare se ipsum, dicunt illam productionem passiuam sufficienter saluare distinctionem inter causam, & causatum, ita a pari in nostro casu dicendum est.

Instabis. hæc causatio passiua ad hoc, vt distinguatur realiter ab actiua debet habere pro subiecto aliquam partem distinctam a subiecto causationis actiuæ, sed in toto non datur pars diuersa a suis partibus, secus fieret contradictio in terminis ergo. Sed Contrà. dico causationem passiuam subiectari in toto, vt resultante, quod sub hac formalitate resultantis distinguitur a partibus, ex quibus resultat.

Arguunt quartò. ex dictis supra non datur in composito duplex vnio, sed si totum distingueretur a partibus daretur in composito duplex vnio ergò. Minor sic ostenditur quia daretur vnio partium, & deindè vnio, quæ resultaret ex partibus tamquam distincta ab ipsis. socios habeo in conflictu, nam qui dicunt, totum distingui

a parti-

a partibus diuerſo modo ſumptis, admittunt, & vnionem partium, & vnionem diſtinctam a partibus diuerſo modo importatis.

Reſpondeo, non dari duplicem vnionem ſimplicem, quaſi ſint duo ſimplices nexus, dari tamen duplicem vnionem, in hoc ſenſu, quatenus eadem vnio vt reſultans, & cauſata diſtinguitur ratione huius reſultantiæ a ſe ipſa vt cauſante.

Inſtabis. licet Homo reſultet ex Animalitate, & Rationalitate tamen realiter non diſtinguitur ab ipſis, ergo etiam, licet totum reſultet ex partibus, non tamen realiter diſtinguetur ab ipſis. vide quæſo, quam mirabiliter mihi faueat hæc inſtantia. nam ita ſe habet effectus metaphyſicus ad cauſam metaphyſicam; ſicuti effectus Phyſicus ad cauſam Phyſicam, ergò ſicut effectus Metaphyſicus nempè, *Homo vt conſtitutus* diſtinguitur metaphyſicè, & formaliter a partibus conſtituentibus, ita effectus Phyſicus, nempè totum diſtinguetur Phyſicè,

& realiter a ſuis partibus.

Arguunt quintò. ad hoc, vt ſaluetur relatio inter cauſans, & cauſatum ſufficis diſtinctio virtualis, ergò etiam ſufficiet, quod totum vt cauſatum a partibus ab ipſis diſtinguatur virtualiter. non eſt contemnenda vis huius Argumenti.

Reſpondeo tamen, diſtinctionem virtualem eſſe in ſuplementum diſtinctionis realis, per conſequens non eſſe admittendam, vbi ſine abſurdo poteſt admitti realis.

DIFFICVLTAS XVI.

Quid ſit natura, & quid prius intendat motum nè, an quietem.

COncluſio prima. naturæ deffinitionem communem admittimus, quod ſcilicet ſit *cauſa motus, & quietis in eo, in quo eſt, vt per ſe non ſecundum accidens inſit.*

Ex qua definitione habes primò, hic nomine naturæ non intelligi formam

mam accidentalem, quæ non eſt per ſe in ſubiecto, ſed per accidens; neque venire Animas ſeparatas, quia in nemine ſunt, nec Angelos propter eandem rationem, multo minus venire nomine naturæ compoſita, quia, cum compoſita in nullo ſint, (cum id, quod in aliquo eſt ſit pars non totum) non poteſt de ipſis verificari illa particula *in quo eſt*.

E contra veniunt nomine naturæ Animæ vnitæ, quia ſunt principia ſubſtantialia motus, ideſt actionum vitalium, & quietis, ideſt talium actionum in facto eſſe, & hoc verificatur tam de Animabus materialibus, quam de Anima rationali, nec contra hanc ſecundam particulam valet dicere, quod Anima rationalis, cum ſit libera non eſt determinata ad vnum, & hoc debet verificari de principio naturali. nam liberum non opponitur naturali, ſed ſe habet reſpectu naturalis veluti ſpecies ad Genus, cum naturale æquè bene poſſit eſſe liberum, quam neceſsarium, eo modo,

quo Animal æquè benè poteſt eſſe rugibile, ac rationale.

Venit ſecundò nomine naturæ materia, nam ipſa quoque eſt principium paſſiuum formarum, cum ipſas, & recipiat, & ſuſtentet; & quia eſt principium in fieri ideò dicitur principium motus; quia eſt principium in facto eſſe, ideò dicitur principium quietis. nec valet dicere primò, quod materia non poteſt eſse in alio, cum enim ſit ſubiectum primum, aliud ſubiectum ſupponere non poteſt, in quo ſit. non valet inquam, quia etiam ſi concederemus materiam non poſse eſſe in alio ſubiecto (de quo tamen ſupra dubitauimus) adhuc dicere poſsemus, quod poſſit eſse in alio tamquam pars in toto. nec valet dicere ſecundò, quod materia reſpectu corruptionis non poſſit eſse natura, cum corruptio non ſit illi naturalis, ſed potius violenta. quia in primis hoc prouenit non ex intentione materiæ, ſed ab agente; ſecundò quia hic pro natura non intelligimus id, quod ope-

ratur iuxta inclinationem, ſed id, quod eſt principium motus, & quietis, ſit deindè iſte motus, vel iuxta, vel contra inclinationem.

Venit tertiò nomine naturæ forma ſubſtantialis, quæ eſt principium informationis, & pro vt eſt principium informationis in fieri dicitur principium motus; pro vt eſt principium informationis in facto eſſe dicitur principium quietis, & hæc omnia pro nunc ſufficient.

Concluſio ſecunda. natura principalius intendit motum, quam quietem.

Probant aliqui ex eo, quod natura principalius intendat id, quod eſt perfectius, cum autem perfectior ſit motus, quia per motum diſtinguitur viuens a non viuente, & quia Cæli, qui ſunt corpora perfectiſſima valdè mouentur, & ſemper, ideò &c. verum quia facilis eſt reſponſio dicendo, quod viuentia diſtinguantur melius a non viuentibus per formam viuam in facto eſſe, quam per motum,

&

& quod Cæli si semper mouentur hoc non faciunt vt natura sunt, sed vt sunt nobis distinctiui temporum, & dierum, & hoc facere non possent si non mouerentur. ideo

Probatur igitur aliter sic. natura cum sit principium intendit illud principaliter, quod facit melius elucere rationem principij, sed motus melius facit elucere rationem principij, quam quies, ergò motus magis principaliter intenditur, quam quies. Minor sic ostenditur. illud facit melius elucere rationem principij, quod facit melius elucere rationem operantis, sed melius facit elucere rationem operantis motus, quam quies, ergò.

Probatur alio modo sic. quies etiam si positiua (quæ consistit in pacifica possessione termini) ordinatur a natura ad motum, ergò prius intenditur a natura motus, quam quies, Antecedens sic probatur natura intendit pacificam possessionem formæ, vt deinde forma, & ipsa moueatur informando

mando materiam, ergo natura ordinat pacificam posseßionem termini ad motum. Confirmatur. quia quandò forma est in secundò instanti suæ durationis tunc à natura ordinatur ad tertium instans, cum semper res ordinetur ad maiorem durationem, quam potest, & tamen tunc est in quiete, cum sit in facto esse, ergo ipsa quies, seù ipsum factum esse ordinatur ad motum.

Dices. quando datur pacifica posseßio formæ, tunc iam forma informat, ergo tunc forma non vlterius ordinatur ad informationem. Sed Contra. duplex est posseßio formæ, alia in esse producto, alia in esse vnito, dum igitur datur pacifica posseßio formæ in esse producto tunc nondum datur posseßio in esse vnito, imo nec datur informatio, & per consequens hæc pacifica posseßio formæ in esse producto, potest ordinari ad informationem pacificam.

Dices secundò. in eodem instanti, quo forma producitur etiam vnitur, ergo

ergo quando forma, est in pacifica possessione sui esse producti, est etiam in pacifica possessione sui esse vniti, seù informantis. Sed Contra verum est Antecedens de eodem instanti temporis, non de eodem instanti naturæ vt ferè ab omnibus admittitur. imò si hoc argumentum valeret sequeretur, quod nulla daretur distinctio inter fieri, & factum esse, seù inter motum, & quietem, quia in eodem instanti temporis, quo forma est in fieri, est etiam in facto esse.

Arguunt primò. natura intendit id, quod est perfectius, sed quies perfectior est, quam motus, ergò natura intendit prius quietem, quàm motum. Minor sic probatur. quià perfectius est esse in possessione termini, quam in via ad terminum.

Respondeo, posse negari Antecedens, nam natura non appetit id, quod est absolutè magis bonum, sed id, quod est melius bonum sibi, & hoc iam probauimus supra, esse motum. deindè dico melius, & perfectius esse


in

in causa, seù principio moueri quam quiescere, quia causa est ordinata ad motum, non ad quietem.

Arguunt secundò. finis semper magis intenditur, quam medium, sed quies est finis, & motus est medium, ergo magis intenditur quies, quam &c.

Respondeo Transeat Ma. nego minorem, nam causa, vt pote spectans ad actionem, spectat potius ad motum, quam ad quietem, sicque potius motum, quam quietem habet pro termino.

Instabis, ideò quis mouetur vt perueniat ad terminum, ergò quies est finis, & motus est medium. Sed Contra verum est Antecedens de ijs, quæ non spectant ad genus causæ, non sic de ijs, quæ spectant ad genus causæ, sicuti est natura hic definita.



DIFFICVLTAS XVII.

Quid sit ars, & an per ipsam fieri possit verum aurum Chimicum.

COnclusio prima. Ars benè definitur *habitus cum vera ratione factiuus*, ex hac definitione habes primò, opus artificiosum non esse artem hic definitam, quia est potius actus, & exercitium artis, quam habitus, secundò, ea, quæ fiunt ab Animalibus, & si sint valdè elegantia non posse tamen vocari artificiosa, quia cum Animalia (intellige sensibilia) ratione careant, non posſunt habere habitum cum vera ratione factiuum; tertiò artem inducere in Artificem quandam facilitatem, quantum ad se spectat, quia cum Ars sit habitus, habet etiam rationem qualitatis facilitatiuæ.

Dices. habitus virtutum sunt, & ipsi cum vera ratione operatiui, ergo data Definitio artis soli Arti non conuenit,

uenit, sicque non est admittenda. Sed Contra habitus virtutum sunt cum vera ratione factiui, sed non habent necessitatem materiæ externæ, sicuti habitus Artis, quæ tendit in res externas.

Dices secundò. habitus Eleemosinæ tendit in actionem externam tamquam in suum obiectum, nempe in largitionem pecuniæ, ergò dictum discrimen non valet. Sed Contra. habitus Eleemosinæ tendit in largitionem pecuniæ non tamquam in suum obiectum, sed tanquā in extensionem sui obiecti, cum sit communis opinio Thelogorum, quod actus externus non addat interno nisi bonitatem, vel malitiam extensiuam.

Conclusio secunda. si implicat fieri aurum Chimicum implicat etiam quælibet alia mutatio, cum sit eadē ratio vbique. intellige Conclusionem de mera non repugnantia, quia quod difficilè fiat, & vix vnquam contingat constat assidua experientia.

Pro-

Probatur. omnia argumenta, quę fiunt contra mutationem ferri in aurum posſunt etiam fieri contra mutationem panis in ſubſtantiam aliti, & aliarum mutationum, ergo ſi non poteſt fieri aurum Chimicum implicat etiam quælibet alia mutatio. Antecedens conſtabit ex argumentis contrarijs, quæ nunc ſubdo.

Primum argumentum eſt quia. Pontifex fieri prohibet Aurum Chimicum, ergo quia non poteſt fieri verum aurum Chimicum. prima vice audiens hoc argumentum. ſic mecum diſcurrebam. Deus prohibet fieri Homicidium, ergo quia non poteſt fieri verum Homicidium? apagè.

Reſpondeo, hoc argumentum poſſe fieri de mutatione cibi in ſubſtantiam aliti ſic. poteſt Deus per ſubtractionem ſui concurſus prohibere, quod cibus non conuertatur in ſubſtantiam aliti, an nè per hoc eſt impoſſibilis mutatio cibi in ſubſtantiam aliti? abſit.

Se-

Secundum argumentum eſt quia medici non vtuntur auro Chimico in ſuis remedijs, nec item Pharmacopolæ, ergò quia non datur verum aurum Chimicum.

Hoc etiam argumentum poteſt fieri in alia mutatione ſic. Medici ſuadent aliquibus infirmis, quod ſanguinem bibant Hominis violenter occiſi, non ſic ſanguinem Hominis naturaliter mortui, ergo Sanguis Hominis naturaliter mortui non erit verus ſanguis? quid hoc abſurdius? ſi ergo medici Auro Chimico non vtuntur eſt, quia vel de facto non datur, vel habet qualitates nimis violentas vtpotè quod non paulatim, ſed citiſſimè factum eſt in fornace.

Tertium Argumentum eſt quia Aurum factum in Fornace habet diuerſas qualitates, ac aurum factum a Sole, ergo quia illud non eſt verum aurum.

Hæc obiectio mirabiliter pugnat contra mutationem panis in ſubſtantiam aliti, quia ſanguis vnius Homi-

nis,

nis, habet diuersas qualitates ac habeat sanguis alterius Hominis, ergo, vel vnus, vel alter verus sanguis non erit? absit. diuersitas ergò qualitatum in vno auro, ac in alio, cum sit diuersitas tantum accidentalis, non variat substantialiter aurum.

Quartum Argumentum, est quia verum Aurum est a Sole, & aurum Chimicum est ab alio agente, nempè ab Igne, ergo aurum Chimicum non est idem cum vero, quia quæ sunt a diuersis agentibus diuersa sunt.

Hæc ratio militat contra omnes illos, qui dicunt, eundem numero effectum prouenire posse a duplici causa, pro nunc dico, vel vtrumque aurum effectiuè esse a Deo, licet dispositiuè vnum sit a Sole, aliud ab Igne, vel quod prouenire a diuersis agentibus non mutet substantialiter effectum. vtraq; responsio legitima est, pro diuersitate sententiarum.

Cæterum, posset retorqueri contra lucem sic. quia lux solis est a Sole, Lux Ignis est ab Igne, & tamen vtra-

que

que est vera lux, ergò etiam licet vnum aurum sit a Sole, aliud ab Igne, vtrumque erit verum aurum.

DIFFICVLTAS XVIII.

Quid sit causa in communi, & quotuplex.

COnclusio prima. Causa in communi benè definitur, *quod sit principium influens esse in aliud.* non patitur hæc definitio nisi minimas difficultates nam solet dici primò, quod etiam conditio, & dispositio, influunt nec tamen sunt causæ, cui satisfit dicendo, quod conditio, & dispositio influunt impropriè, cum nulla formalitas, seù nullum esse eluceat in effectu, quod sit receptum, vel a conditione, vel a dispositione. solet dici secundò. quod causa debet distingui a Principio in diuinis, & tamen si causa definitur, quod sit principium certè a principio non distinguitur respondetur, quod illa particula *Principium.*

est

est in definitione loco generis per consequens mirum non est, si in ratione Principij causa conueniat cum Principio in diuinis, habet tamen aliam particulam, per quam causa ab ipso principio in diuinis distinguitur, nempè ly *in aliud* quia in diuinis Pater influendo in Filium, non influit *in aliud* quia ly *aliud* significat aliquid natura distinctum.

Ex hoc etiam habes, quod sit superflua in definitione causæ illa particula, quam aliqui solent apponere, nempè quod sit influens in aliud ab intrinseco defectibile, quia certè omne, quod causatur est ab intrinseco defectibile, quia omne, quod causatur est Creatura, nec de hoc aliquis dubitat nec istæ particulæ sunt necessariæ ad distinguendum principium diuinum à causa, quia vt supra innuimus, sufficienter distinguitur per illam particulam *in aliud*.

Conclusio secunda. diuisio causæ in quatuor vulgata genera, licet non sit rigorosa, attamen potest tolerari.

Quod

Quod illa diuiſio non ſit rigoroſa patet ex eo, quod, ſicuti pro materia, & forma licet ſint ambæ cauſæ creatæ admittitur duplex genus cauſæ, ita pro efficiente creata, & pro efficiente increata deberent admitti duo genera cauſarum, magis enim diſtat cauſa efficiens creata ab increata, quam cauſa materialis a formali. quod autem poſſit tolerari conſtat in eo, quod ſicuti admittitur ab omnibus, ita & nos poſſimus errare cum multis, & in eo, quod explicat ſaltem lato modo omnes modos cauſandi, licet modus poſſit deindè prouenire, vel a cauſa creata, vel ab increata.

Arguunt primò. priuatio eſt principium, nec tamen eſt cauſa, cum non influat, ergo cauſa non eſt principium; hoc argumentum eſt ſimile huic alteri. rationale eſt Animal, nec tamen eſt rugibile, ergo rugibile non eſt Animal. tu rideres.

Reſpondeo directè. in primis etiam priuationem aliquo modo poſſe dici cauſam, quia licet poſitiuè non in-

 fluat,

fluat, influit tamen negatiuè, & modo ſuo; ſecundò dicendo, omnem cauſam eſſe principium, non tamen omne principium eſſe cauſam, vt patet in principio in diuinis, propterea poſſe ſtare, quod priuatio ſit principium, nec tamen ſit cauſa, & propterea poteſt concedi Antecedens Argumenti, & negari Conſequentia vt illegitimè deducta.

Inſtabis. contra primam reſponſionem. cauſa hic definita, debet influere non quomodocumque, ſed debet influere *eſſe*, ergo priuatio licet influat negatiuè, nullo modo poteſt dici cauſa. Sed Contra etiam negatiua influunt *eſſe* ſuo modo, quatenus ſe ponendo, vel ſe tollendo, ſunt cauſa, quod effectus habeat eſſe, ſic priuatio per hoc, quod ſit terminus a quo in principio in fieri, eſt cauſa, quod detur tranſitus, & per conſequens, quod detur terminus ad quem, nempè forma.

Arguunt ſecundò. in ſententia illorum, qui non diſtinguunt totum a parti-

partibus, partes sunt causæ totius, nec tamen influunt in aliud, cum non influant in aliquid distinctum, ergo malè ponitur in definitione illa particula.

Respondeo in sententia non distinguentium totum a partibus partes non esse causas in eo sensu, in quo non distinguuntur a toto, cum in illa sententia sit vera hæc propositio, *partes æquè primò importatæ non sunt causæ totius, sed sunt ipsum totum.*

Instabis. causæ metaphysicæ non distinguuntur à toto, & tamen sunt causæ totius, cum rationalitas, & Animalitas sint causæ metaphysicæ Hominis, ergo aliqua causa &c. Sed Contra. Animalitas, & rationalitas sunt causæ, de quibus hic non loquimur, cum hic loquamur tantum de causis physicis. addo, quod duæ causæ constituentes saltem virtualiter distinguuntur a constituto.

DIFFICVLTAS XIX.

An inter causam, & effectum detur necessaria connexio.

COnclusio. inter causam, & effectum sumptum secundum esse nominale (si tamen datur hoc esse) non datur necessaria connexio, benè autem inter causam, & effectum sumptum secundum esse participiale, seù possibile extrinsecum.

Aduerte, esse nominale rei nihil aliud esse, quam prædicata possibilia rei. esse autem participiale, seù possibile extrinsecum nihil aliud esse, quam esse producibile. hoc notato.

Probatur prima pars. prædicata vt præcisè possibilia, non dicunt esse producibile, ergo prædicata vt sumpta secundum esse nominale non dicunt connexionem cum causa vt productiua. Antecedens sic probatur, prædicata vt præcisè possibilia dicunt præcisam non repugnantiam

inter

inter ſe, ergo non dicunt prædicatum producibilitatis ab agente, ſeù cauſa.

Confirmo. quia ſicuti præciſa impoſſibilitas dicit præciſam repugnantiam ita quod Hircoceruus, etiam ſi non reſpiceret cauſam impotentem, adhuc diceret repugnantiam in duabus naturis incompoſſibilibus, ergo à pari præciſa poſſibilitas nominalis effectus dicit præciſam non repugnantiam prædicatorum inter ſe ſine reſpectu ad cauſam efficientem.

Dices. quæ non repugnant, & non ſunt Deus dicunt poſſe eſſe ab alio, ergò dicunt poſſe produci, ſicque dicunt reſpectum ad cauſam productiuam. Sed Contra. quæ non repugnant dicunt de conſequenti, & in obliquo poſſe produci, adeoque de formali dicunt tantumodo ſuam non repugnantiam, quod ſufficit pro noſtro intento.

Probatur ſecunda pars. omne productiuum eſt alicuius productiuum, ergo omne productiuum dicit

relationem ad aliquod producibile. Confirmo. Si nõ daretur cognoſcibile, nec daretur cognoſcitiuum, ergo a pari ſi non daretur producibile nec daretur productiuum.

Dices ex eo, quod omne productiuam ſit productiuum alicuius non per hoc eſt productiuum alicuius neceſſario, ſecus deberet ſemper productiuum eſſe in actu ſecundò productionis, ſicuti quia Deus eſt ſui cognoſcitiuus neceſſariò, ſemper eſt in actu ſecundò cognitionis, ergo a primò ad vltimum ex probatione deducitur quidem aliqua connexio, non tamen connexio neceſſaria. Sed Contra inſtantia eſt æquiuoca, nam ſupponit, quod eſſe productiuum neceſſariò alicuius ſit idem, ac dicere quod ſemper productiuum ſit in actu ſecundò, & in hoc ſenſu non debet intelligi, ſed debet intelligi in hoc ſenſu, quatenus omne productiuum debeat neceſsario reſpicere aliquod producibile.

Probatur ſecundò. dantur in diuinis attributa communia, & dantur

præ-

prædicata particularia, sed per hoc attributa communia omnibus tribus personis distinguuntur à particularibus, per hoc quod illa dicant relationem ad extra, ista ad intra, ergo datur in causa relatio ad effectum, sicque connexio cum effectu ad extra.

Dices. Iustitia diuina respicit peccatum, cum ipsum puniat, & tamen non est connexa cum ipso, secus esset connexa cum malo, ergo hoc quod est respicere aliquid ad extra, non est connecti cum illo. Sed Contra: connecti cum malo tamquam illius punitiuam non solum non imperfectio, sed summum decus, sicuti summus honor est medicinæ connecti cum morbo, tamquam ipsius curatiua.

Arguunt primò. effectus est quid extrinsecum causæ, ergo non potest connecti cum causa. Confirmant. quia effectus possibilis nihil est, ergo non potest connecti cum causa.

Respondeo, effectum esse quid extrinsecum causæ, idest quid aliquo modo distinctum, non sic quid extrin-

secum, ideſt non connexum. ad rancidam Confirmationem rancida eſt adhibenda reſponſio, dicendo, effectum poſſibilem nihil eſse actuale, bene autem eſse quid radicale.

Inſtabis. effectus poſſibilis non eſt quid aliquo modo diſtinctum a cauſa, quia vt producibilis identificatur cum ipſa cauſa productiua, ergo ſi aliquo modo eſt eſtrinſecus cauſæ erit in hoc ſenſu, quatenus non erit cum ipſa connexus. Sed Contra. dico, effectum vt poſſibilem (quidquid aliqui dicant) etiam vt contentum in cauſa adhuc diſtingui ab ipſa, quia, vt benè aduertit Doctiſſimus noſter Pater Cacheranus in ſuo pluſquam Angelico tractatu de Trinitate, tanta debet eſse diſtinctio inter producens, & productum, quanta inter productiuum, & producibile.

Arguunt ſecundò. effectus præſens non dicit neceſsariam connexionem cum cauſa præſenti, ergo nec effectus producibilis cum cauſa vt productiua. Antecedens ſic oſtenditur.

quia datur filius præsens etiam mortuo Patre.

Respondeo. Concesso Antecedenti Nego Consequentiam, quia ad saluandam nostram Conclusionem sufficit, quod effectus habeat aliquā relationem ad causam, quod deindè hæc causa duret, vel non, hoc impertinenter se habet.

Instabis. effectus vt futurus non respicit causam quomodocumque, sed causam, vt producturam, ergo etiam, si daretur hæc necessaria connexio, effectus præsens deberet dicere connexionem cum causa non quomodocumque, sed cum causa præsenti. Sed Contra disparitas est quia effectus futurus nunquam erit, nisi causa sit operatura, quia effectus futurus nundum est. at effectus, qui iam sit præsens, iam existit, & per consequens non indiget, quod eius causa sit præsens, sed sufficit, quod sit vel præsens, vel præterita.

Arguunt tertiò. Omnipotentia Dei non est connexa cum Creaturis,

secus dependeret ab ipsis, quod est absurdum. profectò pueri, qui student Bellarmino, sciunt, dari connexionem inter Patrem æternum, & Filium, & tamen inibi non dari dependentiam.

Respondeo, connexionem non inferre dependentiam propriam nisi in illo, quod recipit esse ab alio natura distincto, cum igitur Deus non recipiat esse a Creaturis, ideò licet sit cum ipsis connexus, non tamen ab ipsis dependet.

Instabis primò. Deus non destrueretur impossibilitatis Creaturis, ergo signum est, quod Deus non sit connexus cum Creaturis, Ant. patet quia Deus est quid magis necessarium, quam sint Creaturæ. Sed Contra. Negandum est Antecedens. ad id, quod additur dicendum est, Deum esse quid magis necessarium quoad modum, quatenus necessitas Dei est infinita, non sic formaliter, quia in ratione necessitatis præcisè vtraque equaliter necessaria est.

Insta-

Instabis secundò. si posset impossibilitari Deus impossibilitatis Creaturis posset dari alia omnipotentia perfectior, cum posset dari, vel saltem concipi, omnipotentia, quæ non impossibilitaretur ad impossibilitatem Creaturarum. Sed Contra. hæc omnipotentia, quæ conciperetur vt perfectior esset Omnipotentia Chimerica, quia esset omnipotentia sine termino suæ Omnipotentiæ, esset Omnipotentia productiua improducibilis, & vno Verbo quia esset sine effectu, quem posset producere esset omnipotentia impotens.

Instabis tertiò. magis identificatur Deus cum suo actu libero, quam cum Creaturis possibilibus, & tamen potest Deus esse sine actu libero, ergo Deus etiam potest stare sine creaturis possibilibus, siuè non est cum ipsis connexus. Sed Contra. Deus identificatur cum suo actu libero sumptò quo ad potentiam elicitiuam talis actus, & quo ad entitatem talis actus; quia quidquid in Deo est identicè

Deus at si sumatur actus terminatiuè, seù quo ad obiectum volitum a Deo, hoc non identificatur cum Deo, quia est quid extra Deum, cæterum quo ad necessitatem tam respicit Creaturas possibiles, quam identificetur cum suo actu libero.

Arguunt quartò. per hoc, quod Hircoceruus sit impossibilis non per hoc destruitur Omnipotentia Dei, ergò quia Omnipotentia Dei non est connexa cum Creaturis.

Respondeo, Argumentum non facere ad casum, quia nos dicimus Deum esse connexum cum Creaturis possibilibus, non cum impossibilibus sicut est Hicoceruus.

Instabis. si Creatura possibilis, cum qua Deus est connexus, impossibilitaretur fieret sicuti ens rationis, ergo, si non obstante ente rationis non impossibilitatur Deus, neque impossibilitaretur in dato casu. Sed Contra in tali supposito illa res fieret sicut ens rationis, quò ad discordiam prædicatorum, quatenùs inuolueret repugnan-

gnantiam, at haberet differentiam ab Hircoceruo in hoc, quod Hircocerus fuit ſemper impoſſibilis, nec cum illo fuit vnquam Deus. connexus, vt cum hac re, quæ prius ſupponeretur poſſibilis, & poſtea euaderet impoſſibilis, fuit Deus aliquando connexus, adeoque ipſa impoſſibilitata ſequitur ſtatim &c.

Arguunt quintò. cognitio Dei poteſt terminare ad impoſſibile, cum cognoſcat entia rationis, ergò etiam omnipotentia Dei poteſt terminare ad impoſſibile, ſicque impoſſibilitata Creatura non per hoc impoſſibilitaretur Deus.

Reſpondeo, paritatem fore bonam ſi diceretur. cognitio Dei poteſt terminare ad incognoſcibile, ergo etiam Omnipotentia ad impoſſibile. cæterum impoſſibile in ordine ad cognitionem impertinenter ſe habet, quia in ordine ad cognitionem ſufficit, quod res ſit cognoſcibilis, etiam ſi non ſit poſſibilis.

Inſtabis. eo ipſo quod res eſt impoſſi-

possibilis est etiam incognoscibilis, quia eo ipso quod res est impossibilis non est ens, sic nec etiam est aliquid verum. Sed Contra. impossibile non est cognoscibile cognoscibilitate reali quatenus, cum in se reale non sit, neque potest habere cognoscibilitatem realem, est tamen cognoscibile suo modo, quatenus cognoscitur, vt est in se aliquid repugnans.

Arguunt sextò. heri fuit possibilis suspensio noctis præteritæ hodiè non sic, & tamen non est impossibilitatus Deus, ergò signum est, non dari inter causam, & effectum necessariám connexionem; hoc argnmentum plurimos torquet.

Respondeo, nunquam Deum fuisse connexum cum impossibili, adeòque si hodiè est impossibilis suspensio noctis præteritæ, nunquam Deus fuit connexus cum suspensione factibili hodiè, & per consequens si hodiè est impossibilis talis suspensio, nihil ad ipsum pertinet.

Instabis primò. Deus est connexus

cum

cum suspensione possibili noctis venturæ ergo etiam Deus est connexus, cum suspensione noctis præteritæ sicque hac impossibilitata deberet impossibilitari Deus. Probatur Consequentia. non potest æternitas Dei se extendere ad cras nisi prius, vel saltem nisi etiam se extendat ad hodiè, ergò nec potest Omnipotentia se extendere ad noctem venturam, nisi etiam se extendat, & prius sit connexa cum nocte præterita. Sed Contrà si benè examinetur instantia nos non ferit. nam nos etiam dicimus, Omnipotentiam esse prius connexam (intellige prioritate se tenente ex parte termini) cum suspensione possibili noctis præteritæ, quam noctis venturæ, sed sicuti cum suspensione noctis venturæ est connexa pro hodiè non pro cras, ita pro suspensione noctis præteritæ fuit connexa pro heri, non pro hodiè.

Instabis secundò. etiam si musca hodiè fieret impossibilis posset dici, quod Deus esset cum ipsa connexus

vsque ad heri, non pro hodiè, ergo semper militat paritas. Sed Contra si suppositum esset verum, non haberem difficultatem dicendi, quod Deus connexus cum musca pro heri, non pro hodiè non deberet hodiè impossibilitari ad impossibilitationẽ hodiernam muscæ; sed quia entia permanentia, quæ semel sunt possibilia, semper sunt possibilia, ideo Deus est connexus cum musca possibili, pro semper, sicque &c.

DIFFICVLTAS XX.

Quomodo causa debeat esse prior suo effectu.

Conclusio. si in causa requireretur prioritas temporis, vix saluaretur misterium Trinitatis. quo ad substantiam omnes consentiunt.

Probatur. quia eodem omninò instanti æternitatis datur Pater producens, & filius productus, ergo quia inter producens, & productum non requiritur

quiritur prioritas temporis. nec valet reſpondere, quod in diuinis ideo non admittitur prioritas temporis quia in diuinis omnia relatiua ſunt ſimul, ſicuti omnia abſoluta ibi ſunt vnum. contra enim. quia in diuinis omnia relatiua nō ſunt ſimul origine, ergo ſicuti cum prioritate originis ſaluatur ſimultas tēporis, ita etiam in creatis cum prioritate naturæ poterit ſaluari eiuſdem temporis ſimultas.

Dices in diuinis non datur dependentia, benè autem in Humanis, ergo requiritur maior prioritas in ordine ad effectus creatos, quam in ordine ad principiatum diuinum. Sed Contra. dependentia impertinenter ſe habet ad prioritatem temporis, quod ſic oſtendo; famulus dependet a Domino, ſubditus a Principe, nec tamen neceſſe eſt, quod famulus ſit prior tempore Domino ſuo, aut ſubditus ſuo Principe. addo, quod dependentia nihil aliud eſt, quam recipere eſſe ab alio natura diſtincto, & ſicuti poteſt ſaluari diſtinctio in natura, cum

identi-

identitate temporis, ita &c.

Probatur secundò. etiam præscindendo a misterio Trinitatis; (cum inibi non detur causa, & effectus) maiorem habent oppositionem inter se Ignis, & Aqua, quam duo Ignes, quorum vnus sit causa, alter sit effectus, sed hoc non obstante Ignis, & Aqua possunt esse in eodem tempore, ergo etiam duo Ignes, quorum vnus sit effectus, alter sit causa.

Ad hoc autem vt determinetur, quomodo causa sit prior effectu; aduerte, inter reliquas prioritates dari illam, quæ vocatur prioritas naturæ, quæ consistit in hoc, quod prius influat in posterius a se dependens, sic ignis respectu caloris dicitur prior prioritate naturæ, quia influit, seù dat esse calori a se dependenti, & in hac prioritate impertinenter se habet prioritas temporis, vt supra vidimus. hac prioritate causa est prior semper suo effectu.

Arguunt primò. Si non requireretur prioritas temporis, sequeretur,

quod

quod pro eodem instanti temporis esset simul effectus, & priuatio effectus; quod sic probatur, quia, cum in eodem instanti temporis dentur duo instantia naturæ, in quorum vno effectus est in alio non est, ideo in eodem instanti temporis daretur simul esse effectus, & non esse effectus.

Respondeo, in eodem instanti temporis pro diuerso tamen instanti naturæ, posse esse simul esse effectus, & non esse effectus, eo modo, quo decreta diuina sunt simul simultate temporis, seù, vt melius dicam simultate æternitatis, non tamen sunt simul simultate signi, seù rationis, cum sub hac ratione vnum sit post aliud.

Instabis. duo instantia naturæ important secum etiam duo instantia temporis, ergò viget argumentum. Antecedens sic demonstratur, quia quodlibet instans naturæ dicit proprium instans temporis, cum instans naturæ non sit extra tempus, ergò duo instantia naturæ dicunt duo instantia temporis. Sed Contra negatur

Ante-

Antecedens, nam est quidem verum, quod quodlibet instans naturæ dicit esse in aliquo tempore, at non in aliquo tempore distincto ab alio instanti naturæ sicuti verum est quod quilibet effectus habet aliquam causam, at non est semper verum, quod habeat causam distinctam a causa alterius effectus.

Arguunt secundò. quia in eo genere causa debet præcedere, in quo dat esse, sed dat effectui etiam esse aliquo tempore, quia quod dat esse dat consequentia ad esse, ergò debet præcedere pro aliquo tempore, sicquè non sufficit prioritas naturæ. hoc argumentum olim aliquem torsit, quia tantum examinabatur in cortice.

Respondeo, causam debere præcedere effectum tempore in hoc sensu; quatenus tempus, seù (vt melius dicam) duratio causæ non dependet ab effectu, sicuti duratio effectus dependet à causa, non verò quatenus causa debeat necessario esse in instanti

tempo-

temporis antecedenti ad effectum.

Arguunt tertiò. Si non requireretur prioritas temporis, sequeretur, quod causa esset tantum prior in hoc, quod posset ipsa esse sine effectu, non sic effectus sine causa, sed hoc non sufficit, ergo. Minor probatur, quia tam causa, vt talis non potest esse sine effectu, quam effectus sine causa, ergo hæc prioritas in causa non sufficit ad hoc, vt ipsa distinguatur ab effectu.

Respondeo Concessa maiori, nego minorem, ad id, quod additur dico, causam non posse esse sine effectu, tamquam sine aliquo connexo, non tamquam sine aliquo dante esse, effectum verò non posse esse sine causa, tamquam sine aliquo dante esse, & in hoc sensu debet intelligi prioritas causæ in ordine ad effectum.

Instabis. futuritio est effectus decreti, & tamen dat esse infallibile ipsi decreto, ideò enim est infallibile decretum, quia res, quæ decernitur est infallibiliter futura, ergo effectus dat esse causæ, sicque responsio data futilis.

lis est. Sed Contra dico, decretu non accipere infallibilitatem a re futura, sed potius dare infallibilitatem rei futuræ, nec illa causalis posita in obiectione vera est, nisi in sensu concomitanti, quatenus ad decretum diuinum sequitur infallibilitas rei futuræ.

DIFFICVLTAS XXI.

An, ad hoc vt causa operetur, debeat existere.

Conclusio. causam debere existere, quando operatur, non est nisi probabile. est Conclusio aliqualiter fauens Thomistis.

Probatur primò. quia non est nisi probabile, quod non sufficiat contiguitas temporis, ergò non est nisi probabile, quod debeat existere eodem tempore, quo operatur. Antecedens explicatur a Thomistis a paritate de loco, quia sicuti ad operandum sufficit contiguitas loci, ita videtur, sufficere contiguitatem temporis,

ris, nempè quod causa immediatè antè præcesserit.

Respondent, disparitatem esse, quia, quod non est in hoc loco, & est in alio absolutè verificatur, quod sit, at quod nunc non est, nullo modo est; sed potest iterum redire argumentum, quia quod non est in hoc loco respectu huius loci ita se habet, ac si absolutè non esset.

Probatur secundò. quia est tantum probabile, quod ad operandum requiratur existentia, cum enim virtus operatiua per ipsos Thomistas ad summum identificetur cum essentia, non cum existentia, ideò &c. & hoc melius confirmatur in sententia ipsorum Thomistarum volentium, materiam posse pati, & recipere formam, etiam si in eo instanti naturæ, quo patitur per ipsos, non habeat existentiam, cum hanc recipiat ab ipsa forma.

Dices: licet dispositio ad operandum non identificetur cum virtute operatiua, tamen non potest causa operari

operari ſine diſpoſitione, ergo etiam licet exiſtentia non identificetur cum virtute, tamen non poterit cauſa operari ſine exiſtentia. Sed Contra. habent onus Aduerſarij probandi, quod exiſtentia *ſit conditio*, vel diſpoſitio *neceſſaria* ad operandum, nam *ſine diſpoſitione* non neceſsaria poteſt quis operari.

Probatur tertiò. ſoluendo argumenta contraria; quorum primum eſt, quod actio cauſæ ſit modus cauſæ per conſequens debet ſupponere cauſam, cum modus rei ſupponat rem. verum hoc argumentum non ſolum non habet vim in ſententia complexiſtarum negantium, actionem eſſe modum, ſed poteſt etiam proſterni dicendo, quod Thomiſtæ non negant, actionem cauſæ debere ſupponere cauſam, ſed negant, actionem cauſæ debere eſse a cauſa actu exiſtente.

Inſtabis. actio cauſæ debet recipi in cauſa, ergo debet ſupponere cauſam actu recipientem, ſicque etiam actu exiſtentem. Sed Contra dicent,

quod

quod actualis receptio potest fieri in causa præcedenti pro instanti temporis, quia sicut ad agendum sufficit contiguitas loci, ita ad recipiendum sufficit contiguitas temporis. vel facilius, & fortasse solidius, dici potest, quod actio recipiatur in effectu, non in causa.

Secundum Argumentum est quia. de causa, quæ non sit, non verificatur hæc propositio, *causa est*, ergo nec verificatur hæc alia *causa est operans*, quia propositio, quæ non verificatur de secundò adiacente neque verificatur de tertiò. subtilis prima facie videtur hæc ratio, attamen si benè aduertatur supra quid cadat illa particula *est* videbimus parum roboris habere, nam illa particula *est* non cadit supra existentiam, sed supra operationem, vndè in hoc sensu tam prima, quam secunda propositio vera est, quia verum est, causam esse, ly *esse* cadente supra operationem, sicut si vera est hæc propositio *Paulus est destructus*, quia ly *est* non cadit supra

existentiam, sed suprà destructionem Pauli.

Instabis. Illa particula *est* non cadit nisi supra existentiam, sicuti istæ aliæ *non est* non cadunt nisi supra negationem existentiæ, ergo semper viget argumentum. Sed Contra falsum est antecedens, & id quod affertur ad probationem. *nam in* ista propositione *Petrus non est doctus* ly *non est* non negat existentiam Petri, sed tantum eius doctrinam.

Arguunt tertiò. forma, quæ non est non potest causare compositum, ergo neque forma operari. *Sed Contra*. Ouiedus, vt liberet Thomistas ab hoc argumento dicit, ipsos non extendere doctrinam suam ad causas intrinsecas, quia non distinguuntur adequatè a suo effectu, nempè a toto. verum ne timiditatis notam incurramus, dicere possumus, quod sicuti forma, quæ non est in sententia Thomistarum, dummodo immediatè antea præcesserit producit nonnulla accidentia, ita etiam possit causare com-

compositum difficilè deglutietur, sed paritas conuincit.

Instabis. forma causat compositum tribuendo materiæ existentiam, sed in eo instanti, in quo ipsa non habet existentiam, non potest alteri ipsam tribuere, ergo. Sed Contra possunt dicere Thomistæ, vel quod forma, quæ immediatè præcessit, habeat existentiam virtualiter, & eminenter, & sic possit ipsam alteri tribuere, vel quod sicuti in ipsorum sententia existentia est modus realiter distinctus a re, quæ dicitur existens, ita posset forma, quando non est, causare compositum, etiam si illi existentiam non tribuat.

Arguit quartò Hurtadus. Si causa posset operari, quando non est, sequeretur, quod Homo post instans mortis, posset adhuc peccare, sed hoc est, & Hæreticum, & ridiculum, ergò. Respondet Ouiedus disparem esse rationem de actibus vitalibus, qui, quia sunt alligati subiecto, ideò nequeunt fieri non existente subiecto, sed quia

ſupra diximus, quod neque ad rationem ſubiecti in ſententia Thomiſtarum requiritur exiſtentia.

Reſpondeo in primis, hoc argumentum non facere ad rem, quia Anima etiam poſt ſeparationem non amittit exiſtentiam, & ſic etiam ſi poſt ſeparationem a corpore Anima peccaret, non per hoc verificaretur, quod Anima peccaret, quando non habet exiſtentiam. ſecundò dico, quod ſi Anima non peccat poſt ſeparationem a corpore eſt propter decretum Dei volentis, quod poſt ſtatum viæ nullum de nouo comittatur peccatum.

Inſtabis. licet Anima poſt ſeparationem a corpore non deperdat exiſtentiam, attamen verificatur, quod Homo deperdat exiſtentiam, quia Homo non conſiſtit in ſola Anima, ſed in Anima vnita corpori, ergo adhuc Argumentum faceret ad rem. Sed Contra cauſa effectiua peccati eſt ſola Anima, corpus tantum ſe habet vt inſtrumentum, adeòque ſi poſt ſe-

paratio;

parationem a corpore Anima non amittet existentiam sequitur, quod in ordine ad causam effectiuam argumentum ad rem non faceret.

Arguit quintò. Ouiedus. si causa, quæ immediatè antea extitit posset operari posset etiam operari illa, quæ multo tempore antea extitit, sed hoc secundum non admittitur a Thomistis, ergò nec est admittendum primum. Sequela sic probatur. quia quod nunc non est, ita se habet ad existendum nunc, si extitit immediatè antea, vel si extitit multo tempore antecedenti, ergò sequeretur, quod tam posset operari vna causa, quæ immediatè antea extitit, quam &c.

Respondeo inter vnam, & aliam causam esse hanc disparitatem, quod prima habuit contiguitatem temporis, alia habet distantiam vndè (dicunt Thomistæ) sicuti distantia loci impedit, ita a pari distantia temporis impedit operationem.

Hæc dicta sint curiositatis, & subtilitatis gratia, cæterum probabilius

censeo, causam non posse operari, quandò non existit, saltem loquendo de operatione in actu secundò, nam quod possit operari in actu primò, etiam quando actu non existit, de hoc nulla est difficultas.

DIFFICVLTAS XXII.

An idem numero effectus possit prouenire a duplici causa diuisim sumpta.

CONclusio. Idem numero effectus prouenire potest a duplici causa diuisim sumpta. est Conimbricensium, & aliorum, apud Ouiedum, Serbellonum &c.

Probat Ouiedus ex eo, quod ex meritis Christi potius filij nati sunt ex his parentibus, quam ex alijs, vt patet ex scripturis, ergo quia poterant nasci tam ex his quam ex illis; cum maximè merita Christi, vt ait ipse, non fuerint ad hoc vt filij nascerentur, sed ad hoc vt nati iustificarentur;

tur ; iuxta illud Augustini. *non pro nullis vt Homines conderentur, sed pro impijs mortuus est vt iustificarentur*, ergo quia illi Homines poterant nasci, imò erant nascituri etiam ex alijs ad hoc vt verificetur, quod eorum natiuitas non ceciderit sub meritis Christi, sed tantum eorum Redemptio.

Hanc Ouiedi probationem diu expendi, & (dictum sit reuerentia tanti Doctoris) inueni non solum facilè posse negari suppositum ab Aduersarijs, sed etiam id, quod addit de Iustificatione non facere ad rem. potest ab Aduersarijs negari suppositum, ex eo, quod in sententia Aduersariorum qualibet causa habeat sub se determinatam seriem effectuum, vndè merita Christi non potuerunt facere, vt potius hæc numero Creatura nasceretur ex illis, quam ex illis parentibus, & si orabant pro filijs, dicent Doctores oppositi, quod orabant vel ex eo, quod desiderabant, quod vnus ex illis, qui erat in eorum potentia

reduceretur ad actum secundum, non orabant ad hoc vt ex illis, qui erant in eorum potentia potius ille, quem ipse prædestinasset, nasceretur, quam alter.

Neque dictum Augustini facit ad rem probationis Ouiedi; nam si Christus mortuus est propter iustificationem impiorum, certè equè poterant iustificari si essent nati ex his parentibus, quam ex illis, per consequens in ordine ad hoc non debuisset Christus mereri, quod potius nascerentur ex his, quam ex illis parentibus.

Probatur igitur alio modo sic. datur causa æquiuoca quæ potest producere plures numero effectus, ergo etiam datur effectus æquiuocus qui potest produci a pluribus causis. Consequentiam sic probo. prius est quod res sit effectus quam quod sit causa, ergo prius est, quod sit effectus æquiuocus quam quod sit causa equiuoca, ergò, si potest dari causa æquiuoca, etiam effectus æquiuocus. Antecedens constat, quia prius est, quod

res

res producatur, quam &c. reliqua currunt.

Probatur ſecundò. Ignis B. heri productus ab Igne A. vel continet eandem ſeriem effectuum, vel non, ſi eandem, ergo idem Ignis, qui poteſt produci ab Igne A. poterit etiam produci ab Igne B., ſicque habemus intentum, ſi continet diuerſam ſeriem effectuum, ac contineat Ignis A. ſic arguitur. licet per Aduerſarios Ignis A. contineat determinatam ſeriem, tamen producit effectum continentem diuerſam ſeriem, ergo è conuerſo effectus, licet contineatur in illa ſerie, poterit tamen produci a cauſa continente aliam ſeriem, ſicque a duplici cauſa.

Probatur tertiò. demus in ſententia Aduerſariorum, quod primus ignis in mundo productus continuiſſet tantum quinquaginta Ignes; tunc ſic arguitur. ſequeretur, quod ſecundus Ignis, & ipſe tantum potuiſſet producere illos quinquaginta Ignes, ſimiliter tertius, & omnes ignes, qui

in mundo sunt, & erunt, & hoc sic probatur, quia tantum habent virtutis effectus, quantum illis communicatur a causa, ergo. Secundus ignis tantum illos ignes potuisset producere, quorum virtutem communicasset primus Ignis, sed primus non habuit virtutem nisi quinquaginta Ignium, ergò etiam secundus. fac argumentum deindè de tertiò comparato ad secundum Ignem, & videbis ita restrictam virtutem omnium Ignium, vt tantum quinquaginta ignes numero diuersos producere possint.

Ex quo sequitur aliud manifestum absurdum, quod scilicet inter tot millenos Ignes, qui de facto dantur tantum quinquaginta sint diuersi numero, & alij omnes sint eiusdem Indiuiduationis, sed pluries replicatæ, & ecce quam Cathastrophem miraculorum admittis.

Arguunt primò. Causa in genere non potest producere nisi effectum in Genere, & causa in specie nisi effe-

ctum

ctum in specie, ergò etiam causa in Indiuiduo non potest producere nisi effectum in Indiuiduo, sicque idem numero effectus non potest produci a duplici causa diuisim sumpta. Heu quam bellè scenam verto, & sic discurro. causa in genere producit effectum extra Genus suum quia substantia producit Accidens causa in specie producit extra speciem suam, quia sol producit lucem, ergo etiam causa in Indiuiduo potest producere vltra Indiuiduum suum.

Respondeo directè. transeat ad liberalitatem Antecedens, Negatur Consequentia, quia dum comparamus Genus ad aliud Genus, & speciem ad aliam speciem diuersam, comparamus vnam lineam ad aliam lineam, at dum comparamus vnum Indiuiduum ad aliud stamus semper in eadem linea specifica, adeòque non currit paritas, cæterum si valeret argumentum, sicuti contendit, quod Genus non possit producere nisi vnum Genus, & species nisi vnicam

speciem, ita vnum Indiuiduum non posset producere nisi vnum Indiuiduum, & sic Pater post primogenitum suum posset tuta conscientia obseruare castitatem.

Argunt secundò. plus debet posse tota collectio ignium, quam possit vnicus tantum Ignis, sed si omnia Indiuidua continerentur in quolibet Igne, non plus posset tota collectio Ignium, quam vnicus tantum Ignis, ergò. Minorem sic probant, quia tota collectio Ignium, potest producere omnes ignes numero diuersos, sed hoc totum posset etiam in sententia opposita vnicus Ignis, ergo.

Respondeo in primis, hoc argumentum esse ridiculum, quia supponit totam collectionem Ignium posse producere aliquid, cum tamen extra totam collectionem Ignium nullus alius detur ignis producibilis. deindè quidquid sit de supposito. dico, plus posse collectionem Ignium in hoc sensu, quatenus omnes ignes possunt simultaneè producere, id, quod tan-

tum

tum poteſt ſucceſſiuè producere vnicus tantum Ignis, non verò quatenus in omnibus Ignibus contineatur virtus alicuius Indiuidui, quod non contineatur in virtute, vnius Ignis.

Inſtabis. Omnes Ignes poſſunt producere Ignem, B., & tamen Ignis B. non poteſt producere ſe ipſum, ergò plus poſſunt omnes Ignes etiam ſucceſſiuè, quam vnicus tantum Ignis. Sed Contrà etiam hæc inſtantia ſe ipſam deſtruit, quia in collectione omnium Ignium datur etiam Ignis B. & ſic ſi omnes Ignes poſſent producere Ignem B., etiam Ignis B. poſſet ſe ipſum producere.

Arguunt tertiò. non poteſt Idem effectus habere duplicem dependentiam, ergò nec prouenire a duplici cauſa. Conſequentia conſtat. Probant Antecedens, quia ſi poſſet habere duplicem dependentiam, poſset habere duplicem eſſentiam, & ſic foret ens rationis, quia dependentia eſt eſſentia effectus.

Reſpendeo Nego Antecedens nam

duplex

duplex dependentia non esset duplex essentia, nisi virtualiter, & extrinsecè, quatenus scilicet posset prouenire a duplici causa, & sicuti non habet duplicem essentiam causa per hoc, quod possit producere plures effectus, ita nec habebit duplicem essentiam effectus per hoc, quod possit produci a pluribus causis.

Instabis. si scientia posset procedere per diuersa obiecta formalia, esset multiplex in specie, ergo etiam si effectus posset produci a pluribus causis esset multiplex numero, & in essentia, quia tam est relatiua scientia ad obiectum, quam causa ad effectum. Sed Contra effectus non respicit causam vt sui Indiuiduatiuam, at scientia (in sententia illorum, qui faciunt hanc obiectionẽ) respicit obiectum vt sui specificatiuum, per consequens paritas supra posita non valet.

Arguunt quartò. mutata actione mutatur effectus, sed mutata causa mutatur actio, ergo mutatur effectus, sicque idem numero effectus

non

non potest prouenire a duplici causa. Responsio communis est, quod mutata actione adequatè idest tam ex parte causæ, quam ex parte effectus mutetur effectus, non sic mutata actione inadequatè verum quia hæc videtur respondere per id, quod est in quæstione, nam in quæstione est, an possit mutari actio tantum inadæquatè idest tantum ex parte causæ, nisi etiam varietur saltem numero effectus, ideò.

Respondeo iuxta meam sententiam amplectentem modos, negando maiorem, nam eadem actio potest esse modus huius, & alterius effectus, sicut eadem via potest terminare ad diuersos terminos, & sicut eadem forma numero potest denominare hanc, & illam materiam informatã, ita eadem actio poterit denominare hunc, & illum effectum productum.

Instabis. Actio, cum per me sit modus, est alligata rei, cuius est modus, ergo actio ita est alligata huic causæ,

vt non possit esse ab alia causa, ergo etiam ita dicendum de effectu. Sed Contra. modus est alligatus rei in hoc sensu, quatenus non potest dari actio sine aliqua causa, at non in sensu, qui intenditur in obiectione.

Arguunt quintò. hoc numero compositum non potest prouenire nisi ab hac numero materia, & ab hac numero forma, ergo etiam hic numero effectus non potest prouenire nisi ab hac numero causa. communis responsio, vt fugiat difficultatem, dicit, esse exceptas ab hac quæstione causam, materialem, & formalem, quia cum istæ non distinguantur a toto, ideò hoc numero totum non potest prouenire nisi ab his numero partibus. verum, cum ego tenuerim distinctionem totius a partibus.

Respondeo, esse quid nouum, non quid improbabile dicere, quod etiam hoc numero compositum possit prouenire non solum ab his, sed etiam ab alijs numero partibus, ratio est quia sicuti denominatio producti facit, quod

quod vna persona in diuinis distinguatur numero ab alia, ita denominatio causati facit, quod totum sit diuersum numero a suis partibus, per consequens tale esset, & si ab alijs partibus proueniret.

DIFFICVLTAS XXIII.

An idem effectus possit prouenire a duplici causa simul applicata.

Conclusio prima. de duplici causa partiali nulla est difficultas. Probatur breuiter; quia idem compositum prouenit a duplici parte, nempè a materia, & forma, idem Filius a duplici parente, idem mixtum a multiplici qualitate. similiter nulla est difficultas in ordine ad duplicem causam, quarum vna sit creata, alia increata, quia certè idem effectus prouenit a Deo, & Creatura.

Conclusio secunda. & duplex causa producens eundem numero effectum non esset in rigore totalis. est

Con-

Conclusio, quæ indiget aliqua explicatione.

Probatur igitur, & explicatur. causa totalis est illa, quæ potest producere effectum sine adiutorio alterius causæ eiusdem ordinis, sed in tali casu applicationis vna non posset aliã producere sine adiutorio alterius, quia vtraque censetur debere necessariò agere, cum sit causa necessaria, ergò insuper in tali casu deberet produci effectus vt dependens a duplici causa, non potest autem vna tantum causa producere effectum vt dependentem a duplici, quia esset propositio implicans in terminis.

Conclusio tertia. supposito, quod duplex Ignis applicatus eidem passo possit dici causa totalis, nulla est repugnantia, quod ab ipso duplici igne proueniat idem ignis numero.

Probant aliqui ex eo, quod sicuti potest idem effectus prouenire a duplici causa seorsim sumpta, ita etiam poterit prouenire a duplici simul sumpta, quia duplex simul sumpta

non

non ſit deterioris conditionis, ſed potius melioris. Sed hæc probatio, ſi benè examinetur, fauet potius Aduerſarijs quia ſi duplex cauſa ſit melioris conditionis per hoc, quod ſimul applicetur debet etiam illi correſpōdere quid maius, per conſequens debet illi correſpondere duplex effectus.

Probatur igitur aliter primò. quia cauſa agit iuxta capacitatem paſſi ergo duplex cauſa applicata eidē indiuiſibili paſſo, producet eundem indiuiſibilem effectum, Antecedens patet reliqua currunt. Confirmo. eadem cauſa applicata duplici paſſo producit duplicem effectum vt patet in Sole applicato diuerſis partibus mundi, ergo duplex cauſa applicata eidem paſſo producere poteſt, imò producet eundem numero effectum, hæc conſequentia ſic probatur. ideò cauſa applicata duplici paſſo producit duplicem effectum, quia quodamodo determinatur a paſſo, ergo etiam duplex cauſa applicata eidem

paſſo

passo producet eundem effectum; quia ab vnico tantum passo determinatur.

Probatur secundò. argumento illo communi de duplici Sacerdote consecrante eandem Hostiam, & per consequens conficiente idem Sacramentum. de duplici baptizante, &c. quæ omnia nota iam sunt.

Dices. ex duplici consecrante, & baptizante, vterque non consecrat, nec baptizat, sed tantum primus, qui complet verba consecratoria, & baptizatoria. Sed Contra demus, vt est casus moraliter possibilis, quod vterque in eodem instanti compleret verba, tunc certe non esset maior ratio de hoc, quam de illo per consequens, vt nemini fiat iniuria, vterque debet consecrare.

Arguunt primò. Contra tertiam si duplex causa posset producere eundem numero effectum hoc sequeretur supposita applicatione duarum causarum eidem passo, sed hæc applicatio foret miraculosa, ergo etiam foret

foret miraculosa productio.

Responsio communis, & probabilis est, quod sicuti facta restitutione cæco, ille Homo naturaliter videret, ita facta applicatione miraculosa duplicis causæ illa duplex causa naturaliter operaretur; addo, quod non est caput, propter quod hæc applicatio debeat dici miraculum, nam non video, cur naturaliter non possit duplex ignis habere æqualem distantiam ab eodem ligno, per consequens habere eandem applicationem subiecto.

Instabis. non possunt duo ignes habere eandem distantiam a passo, nisi sint in eodem loco, sed non possunt esse in eodem loco nisi penetrentur, & penetratio est miraculosa, ergò semper stat, quod sit miraculosa hæc applicatio duplicis causæ. Sed Contra N. A. nam duo puncta lineæ equaliter distant a centro, nec tamen sunt in eodem loco, & duo Poli æqualiter distant a cento terræ, nec tamen &c.

Arguunt secundò. dependere a duplici causa totali est quid superfluum,

cum satis, superque habeatur esse ab vna.

Respondeo, superfluum illud esse, quod ad nihil inseruit, hoc autem dependere a duplici causa finali ad aliquid inseruiret, quia ostenderet fæcunditatem naturæ, quæ voluit dare circa illum effectum virtutem non tantum vni, sed pluribus causis.

Instabis. magis eluceret fæcunditas naturæ si a duplici causa produceretur duplex effectus, maior enim fæcunditas est vbi plures sunt partus. Sed Contra. quod duplex causa possit producere duplicem effectum iam est fæcunditas omnibus nota, adeoque non est, cur magis eluceat, at quod duplex causa possit producere eundem numero effectum res est mira, & ferè noua, & ideò magis indiget elucere.

Arguunt tertiò. quælibet ex his causis totalibus deberet operari, ergo quælibet deberet dare esse effectui, ergo effectus haberet duplex esse, quod est absurdum.

Respondeo, quamlibet causam deberet dare esse effectui, non tamen distinctum esse, sed vel idem, vel distinctum, & ideò in dato casu effectus non haberet duplex esse.

Instabis. detur lignum medium inter duos ignes, non potest lignum habere eandem calefactionem ab igne versus Orientem, ac versus Occidentem, quia esse ignis versus Orientem incipit ab Oriente, & esse ignis versus Occidentem incipit ab Occidente. Sed Contra esto, incæptionem esse diuersam quo ad locum, non per hoc est diuersa, quo ad rem incæptam, & hoc sufficit pro nostro intento.

Arguunt quartò. demus duas causas vt octo. quælibet ex his producet totaliter, ergò quælibet ex his producet vt octo, sicque quælibet ex his producet in summo, & per consequens simul sumptæ producent plusquam in summo, quod ex terminis ipsis repugnat. responsio communis est, quod cum actio fiat per eductionem termini a subiecto, & subiectum non

sit

sit capax, nisi ad summum termini, vt octo, cum supponatur vnicum tantum, ideò &c. Solida doctrina si præcisè stemus in actionibus eductiuis, sed quia puto, extendendam esse doctrinam etiam ad actionem creatiuam ideò.

Respondeo in primis, suppositum claudicare, cum probabilius sit, nullam causam posse, esse vt octo saltem probabilitate extrinseca. deindè dico, quod, si vtraque causa daret esse distinctum, tunc deberet dici, quod darent esse, vt sexdecim, cum autem dent in supposito casu idem esse, ideò &c. se habent igitur tunc duæ causæ per modum vnius indiuisibilis principij ad idem terminantis.

Arguunt quintò. quodam medio termino inuento vsquè in tempore Noè, si idem effectus esset simul a duplici causa, sequeretur quod penderet, & non penderet, penderet quia reciperet esse, non penderet quia sine vna, vel sine alia posset adhuc produci, cum sufficienter producatur ab

vnica tantum. hic eſt ille Achilles toties in Circulis pugnans, toties ſolutus, ſed totidem temerarius.

Reſpondetur communiter, quod ab vtraque penderet, quia quod poſſit eſse ſine vna ex his cauſis, hoc tantum arguit, quod vna eſſet ad neceſſitatem alia ad abundantiam, ſed quia videtur, quod vix poſſit diſcerni, quænam ex his duabus dependentijs eſſet ex neceſſitate, quænam ex abundantia, ideò aliter.

Reſpondeo, illum effectum pendere ex neceſſitate ab vtraque cauſa, quia cum dependentia conſequatur ad hoc, quod eſt recipere eſſe, cum in tali caſu ab vtraque reciperet eſse, ideò ab vtraque ex neceſſitate penderet, ſuppoſita receptione talis eſse ab vtraque.

Inſtabis. non eſt dependentia, vbi non eſt indigentia, ſed in tali caſu effectus non indigeret duplici cauſa, ergo nec dependeret a duplici cauſa, Sed Contra. In tali caſu effectus non indigeret duplici cauſa abſolutè, indi-

 geret

geret tamen ex ſuppoſitione, quod ab vtraque recepiſſet eſse, quia ex ſuppoſitione, quod aliquid creatum ab aliquo recipiat eſse, dependere debet ab illo.

DIFFICVLTAS XXIV.

An idem effectus corruptus poſſit naturaliter reproduci.

CОnclusio. Si idem effectus corruptus nequit reproduci, nequè effectus merè poſſibilis poteſt produci: ſub his terminis eſt Concluſio ſingularis, licet quò ad rem conſentiant omnes illi, qui dicunt, eundem effectum corruptum poſse naturaliter reproduci.

Probatur. ita ſe habet effectus poſt corruptionem, ac ſe habeat antè productionem, ergò ſi antè productionem naturaliter poteſt produci, etiā poſt corruptionem naturaliter poterit reproduci. Antecedens ſic oſtenditur. antè productionem nihil deffi-

cit effectui, nisi actualis existentia; sed etiam post corruptionem nihil illi defficit, nisi actualis existentia, quia possibilitas sicuti per incæptionem non aquiritur, ita per destructionem non deperditur, ergò ita se habet effectus ante productionem, sicut post corruptionem.

Probatur secundò paritate. Intellectus, qui semel intellexit obiectum non solum naturaliter, sed etiam facilius idem obiectum intelligit, ergo causa, quæ semel produxit effectum non solum naturaliter, sed etiam facilius eundem effectum reproducet. omitto rationes communes consistentes in eo, quod per corruptionem, nec effectus euadit Chimericus, nec causa deperdat virtutem productiuam.

Dices, longam esse disparitatem inter obiectum, & inter effectum; nam obiectum per hoc, quod semel cognoscatur, non per hoc corrumpitur, at præsens quæstio est de obiecto, quod corrumpitur. Sed Contra vtor

doctrina iam data, & sic arguo. etiam si obiectum destruatur non per hoc est naturaliter impossibilis eius cognitio, cum possim ex vi speciei alias impressæ cognoscere Petrum defunctum, ergo etiam per hoc, quod effectus corrumpatur non sit naturaliter impossibilis eius productio.

Arguunt primò. si naturaliter posset idem effectus corruptus reproduci, posset etiam naturaliter fieri resurrectio mortuorum, sed hoc non videtur dicendum, cum fiat semper miraculosè, ergò.

Respondeo, vel quod resurrectio mortuorum sit miraculosa extrinsecè, quatenus Deus hoc opus sibi reseruauerit, & meritis Sanctorum, vel quod sit miraculosa, non quatenus in entitate sit supernaturalis, sed quia nescit Homo modum applicandi actiua passiuis, ad hoc vt fiat talis vnio de nouo.

Instabis. scit Homo applicare actiua passiuis ad hoc vt primò fiat vnio, ergo etiam deberet scire Homo

applicare actiua passiuis, ad hoc vt denuò fieret vnio inter Animam, & Corpus, sicque caput assignatum non valet. Sed Contrà negatur Antecedens quia Deus est, qui vnit primò Animam Corpori, vel dicas, quod etiam si primò Homo posset producere hanc Vnionem non tamen secundò, quia prima vice Anima non distat a corpore, benè autem secunda vice.

Arguunt secundò, non potest eadem res habere duplicem durationem, ergò nec potest eadem res reproduci, quia si reproduceretur haberet durationem antè corruptionem, & post talem corruptionem.

Respondeo, hoc argumentum nimis probare probat enim Angelum heri durantem, non posse durare hodie, & me hodiè durantem non posse durare in die Iudicij. directè tamen dico, rem non posse habere duplicem durationem simul, quia duratio successiua est, bene tamen posse habere duplicem durationem vnam post aliam.

Instabis. Si res posset habere duplicem durationem vnam post aliã, posse & etiam habere duplicem existentiam vnam post aliam, sed hoc est inauditum ergò. Sequela sic ostenditur, quia sicuti duratio est semper alicuius existentiæ duratio, ita duplex duratio est duplicis existentiæ duratio. Sed Contra dico, eandem rem posse habere duplicem existentiam diuersam quo ad tempus, non quo ad entitatem vt patet.

Arguunt tertiò, & prò se adducunt quendam locum Aristotelis dicentis, a priuatione ad habitum non dari regressum, ex quo deducunt, quod effectus a corruptione, quæ est priuatio essendi, non potest transire ad esse, seù ad reproductionem.

Respondeo, hunc locum vel intelligi ab extrinseco, quatenus Deus impedit hunc regressum, quia amat, quod noui semper producantur effectus propter varietatem, & pulchritudinem vniuersi, vel intelligi à corruptione non dari regressum subitaneum

neum ad habitum, quia, cum habitus ſit permanens, prius eſt, quod reproducatur, quam quod permaneat in eſse.

Cæterum, ſi profundius res conſideretur; locus ſupra dictas nobis fauet. Si enim corruptio vocatur ab Ariſtotele priuatio, cum priuatio ſit ſemper in ſubiecto apto ideò effectus, qui dicetur corruptus iterum erit aptus ad exiſtendum.

Arguere poſsent quartò. effectus, qui non ſit corruptus, ſed adhuc exiſtat non poteſt reproduci, ergò neque poteſt reproduci effectus corruptus. Antecedens ab omnibus conceditur. Probatur Conſequentia, quia corruptio nihil influit in poſſibilitatem effectus, ergo ſi effectus nundum corruptus reproduci non poteſt, neque effectus corruptus poterit iterum produci.

Reſpondeo Concedo Antecedens, Nego Conſequentiam, quia quod effectus, qui adhuc exiſtat reproducatur obſtat hoc, quod actum ageretur,

& hæc ratio licet, vt infrà ostendam, non sit euidens, est tamen valdè probabilis.

Arguere possent quintò. hora, quæ heri præterijt, hodiè reproduci non potest, ergo effectus destructus non potest re produci, Antecedens sic ostenditur, quia hora, cum sit pars rei successiuæ, non potest esse nisi in tali, & tali determinato tempore.

Respondeo, horam heri transactam sicuti producta non fuit, neque posse reproduci, reproductio enim est secunda productio supponens primam videbimus autem in quæstionibus de tempore, quod tempus sit quędam qualitas fluens, quæ per se currit, nec subijcitur productioni, imò nec imperio Dei.

Instabis. motus subijcitur productioni primæ, nec tamen potest reproduci, implicat enim; quod pars motus heri transacta sit hodiè, quia implicat, quod motus anterior sit post subsequentem. Sed Contra, pars motus heri transacta, vel potest sumi

vt

vt anterior tempore, vel quò ad entitatem, vt anterior tempore non solum motus, sed nequè alia res permanens iam transacta potest hodiè reproduci, quò ad entitatem autem pars motus iam transacta potest hodiè reproduci, quia motus quò ad entitatem præcisè præscindit ab hoc, vel ab illo tempre.

DIFFICVLTAS. XXV.

An Causa possit actum agere.

COnclusio. non implicat Causam actum agere nec diuersa actione, nec eadem.

Probatur. non implicat ex supra dictis causam producere effectum corruptum, ergò nec implicabit, causam producere eundem effectum actu existentem, Probatur Consequentia nam per hoc, quod effectus existat non tollitur virtus causæ in ordine ad ipsum, cum existentia faciat causam elucescere, non verò ipsam de-

ſtruat, ergo ſi poteſt naturaliter reproduci effectus idem corruptus, poterit etiam reproduci idem effectus exiſtens.

Probatur ſecundò. poteſt idem peccatum bis abſolui, vt patet in eo, qui iterum confitetur peccata ſemel confeſsa; poteſt idem obiectum bis cognoſci, ergo etiam poterit quantum ſpectat ad rationem intrinſecam.

Dices. etiam ſi obiectum bis cognoſcatur, non per hoc producitur idem actus cognitionis, ſed diuerſus, ergo hæc paritas non facit ad rem. Sed Contra in ſententia Complexiſtarum. cognitio conſiſtit in Intellectu, & obiecto, per conſequens ſi ſit. idem Intellectus, & idem obiectum, difficilè erit ſaluare, quomodo, non ſit idem actus cognitionis. in ſententia autem modaliſtarum ſic arguitur. non eſt minus virtualiter multiplex modus in genere nexus, quam ſit Intellectus in genere potentiæ, ergò ſi ex eo, quod Intellectus idem numero ſit vir-

tualiter

tualiter multiplex potest sæpius attingere idem obiectum, ita ex eo, quod modus sit virtualiter multiplex, poterit manente eodem numero connectere Intellectum cum eodem obiecto.

Arguunt primò. actum agere est aliquid superfluum, cum nihil ponatur de nouo, ergo non debet admitti. hoc argumentum ad summum probat, quod actum agere sit inconueniens, non verò impossibile, quia superflua sunt inconuenientia non sic impossibilia, vt consideranti patere potest. aliter tamen.

Respondeo, quod si argumentum procedat de diuersa actione iam corruit, quia tunc ponitur aliquid de nouo, nempè noua actio; si autem procedat de eadem actione tunc aliquid de nouo poneretur, quia poneretur actio diuerso tempore, diuerso loco &c. addo, quod etiam si nihil de nouo poneretur, adhuc hæc secunda productio non foret superflua, quia in seruiret ad ostendendam virtutem

causæ, quæ non solum semel, sed etiam bis posset eundem effectum, producere.

Arguitur secundò. si idem bis produceretur haberet duplicem existentiam, ergò non posset quis idem bis producere. Antecedens tenet, quia sicuti productio terminat ad existentiam, ita bina productio terminat ad binam existentiam.

Respondeo, non fore duplicem existentiam, sed eandem bis productam, sicuti est Idem Corpus Christi in centum hostijs, licet sæpius reproductum.

Instabis. si in secundò instanti reproduceretur eadem existentia sequeretur, quod ad eandem existentiam terminaret duplex actio, nam terminaret ad ipsam actio reproductiua, & actio conseruatiua. Sed Contra in tali casu cessaret actio conseruatiua, quia hæc est in suplementum productionis.

Arguitur tertiò. si posset dari reproductio alicuius existentis, sequeretur,

retur, quod eſset naturalis etiam replicatio, cum replicatio nihil aliud ſit, quam reproductio, ſed hoc dicere eſt abſurdum, ergo. oh quam vili pretio venduntur abſurda.

Reſpondeo, quod fortaſsè inferius demonſtrabimus, non eſse euidens, quod naturaliter implicet replicatio, pro nunc ad liberalitatem dico, quod ſimplex reproductio dicit quid minus, quam replicatio, quia, replicatio neceſsariò dicit poſitionem eiuſdem in duplici loco, quod non dicit ſimplex reproductio, per conſequens a ſimplici reproductione non valet argui ad replicationem.

Arguitur quartò. hæc copula *eſt* nequit nectere prædicatum præſens, & præteritum, ergo neque hæc numero actio, quæ pariter eſt nexus poterit nectere hanc cauſam cum effectu exiſtenti, & deinde eandem cauſam cum eodem effectu vt futuro, ſicque non poterit effectus exiſtens hodiè cras iterum produci.

Reſpondeo in primis diſparitatem

eſse,

esse, quia ly *est* cum sit tempus, est annexum tali determinatæ præsentiæ temporis, quod, cum non valeat de actione, ideo &c. deinde dico, quod paritas non currit, nam actio semper producit rem præsentem, non verò rem futuram, & licet verificetur hæc propositio *cras potest producere hunc eundem effectum* tamen sensus est, quod ille effectus, qui nunc est futurus, vel possibllis cras possit esse præsens per productionem.

DIFFICVLTAS XXVI.

An idem possit producere se ipsum.

COnclusio. loquendo speculatiuè potest naturaliter, & ab intrinseco causa se ipsam producere. dixi naturaliter, quia supernaturaliter hoc certum est, cum Christus existens in Cælo producat se ipsum in Eucharistia; dixi ab intriuseco, quia ab extrinseco hæc productio impeditur a Deo.

Pro-

Probatur primò. quia Homo est virtualiter multiplex potest cognoscere se ipsum, ergò etiam quia causa est virtualiter multiplex poterit se ipsam producere, hæc enim æquiualentia facit quod eadem res æquiualeat causæ, & effectui, productiuo, & producibili, & quod eadem res possit esse causa, & effectus.

Dices. aliud esse, quod idem cognoscat se ipsum, aliud quod producat se ipsum, primum verum est, non sic secundum. Sed Contra; gratis omnino dicitur; quod inter cognoscens, & cognitum non debeat dari tanta distinctio, quanta inter producens, & productum, cum vtrobique militet relatio, quæ est inter distincta.

Probatur secundò. Ex dictis suprà, effectus, qui prouenit ab vnica causa potest etiam prouenire ab alia, ergò ego, qui prouenio a Patre meo possum prouenire ab alio, erga etiam a me. nunquam enim sufficiens ratio assignabitur, cur ego possim proue-

nire,

nire, & a Patre meo, & ab alio, non vero a Patre meo, & a me. & hoc argumentum ſic inualido, ideò ego poſsum prouenire, & a Patre meo, & ab alio, quia Pater meus, & alius ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed etiam ego & Pater meus ſumus eiuſdem ſpeciei, ergò.

Arguunt primò. ad agendum requiritur diſtinctio realis inter cauſam, & effectum, ſed idem non diſtinguitur realiter a ſe ipſo, ergò idem non poteſt producere ſe ipſum.

Reſpondeo, ad agendum requiri diſtinctionem realem, vel æquiualenter, vel formaliter, ego autem non diſtinguor quidem vt productiuus realiter a me ipſo, vt producibili, diſtinguor tamen æquiualenter, & ſicuti diſtinctio virtualis facit, quod rationalitas emanet riſibilitatem licet inter vtramque non detur diſtinctio realis, ita a pari &c.

Inſtabis. riſibilitas non eſt effectus, ſed eſt proprietas, ergò à riſibilitate non benè arguitur ad alios effectus.

Sed

Sed Contra hoc, quod eſt eſſe proprietatem non tollit rationem effectus, cum non tollat rationem emanati ab alio; omne autem, quod ab alio eſt, in creatis effectus eſt.

Arguunt ſecundò. ſi idem poſſet ſe ipſum producere, poſſet etiam ſe ipſum deſtruere, cum non minus res æquiualeat deſtructiuæ, & deſtruibili, ac productiuæ, & producibili, ſed hoc non debet dici, cum nemo ſibi noceat ergò. hoc argumentum ad ſummum probat, quod idem ſe ipſum, non deſtruet, non vero quod ſe ipſum deſtruere non poſſit, nam axioma dicit, *nemo ſibi nocet* non verò dicit *nemo ſibi nocere poteſt*.

Reſpondeo, poſſe negari Antecedens. ad id, quod additur de æquiualentia dico, non eſſe omnes æquiualentias æquales; vndè benè poteſt ſtare, quod res æquiualeat productiuo, & producibili à ſe ipſo, non ſic æquiualeat pro deſtructiuo, & deſtruibile à ſe ipſo; ſed ſufficit, quod ſit deſtruibilis ab alio, ſic in hac propoſitione. *Deus*

eſt

est comprehensiuus , & non comprehensibilis non intelligitur , quod sit comprehensibilis ab omnibus, sed a se ipso.

Quod si hæc responsio non arridet, dicas, quod quantum spectat ad intrinsecum idem potest se ipsum destruere, ad illud, quod nemo sibi noceat, respondeas, quod hoc verificatur in ordine ad exigentiam, non in ordine ad puram capacitatem, certè enim nemo exigit sibi nocere. cæterum sicut in moralibus. Homo sibi nocet dum peccat, ita in physicis pari modo discurrendum est.

Arguunt tertiò. si Idem posset se ipsum producere,posset etiam se conseruare, sed hoc est absurdum cum omnia conseruentur a Deo ergò.Ma. patet, quia conseruatio est continuata productio.

Respondeo Transeat maior, quæ posset negari, Nego Minorem, quia licet probabilius sit, quod de facto omnia conseruentur à solo Deo, non est tamen aut improbabile, aut ab-

surdum,

surdum, quod res conseruentur à Deo, & Creatura simul, per concursum illum, qui dicitur simultaneus.

DIFFICVLTAS XXVII.

De mutua causalitate.

Conclusio. Mutua causalitas est quidem odiosa Phylosophis, at argumenta contra ipsam facta non conuincunt.

Primum Argumentum, quod etiã pueri scirent soluere, est quia implicat, quod idem respectu eiusdem sit prius, & posterius, sit dependens, & independens, sed hoc sequeretur admissa mutua causalitate, ergò.

Respondeo, idem respectu eiusdem fere dependens sed sub diuersa ratione, ac foret independens, nam foret dependens vt effectus est, & independens vt causa. Sic etiam Noè respectu Beatæ Virginis fuit prior, & posterior, prior quo ad tempus, posterior quo ad dignitatem.

Secun-

Secundum Argumentum, quod nonnulli vocant insolubile est quia: Ignis A., v. g. ad hoc vt producat Ignem B., debet supponi existens, ergò non potest amplius produci ab Igne B., quia implicat actum agere.

Respondeo hunc Achillem posse triplici modo interimi. in primis dicendo cum Thomistis non requiri quod Ignis A., existat à parte rei dum producit; secundò dicendo, quod per nos non implicat etiam naturaliter actum agere; tertiò dicendo, quod ignis A., debeat præsuponi existens præsupositione *in quo*, non præsupositione *à quo*, debet præsuponi existens signo in quo, quia in eodem instanti, in quo producit debet esse existens, non vero signo a quo, quia cum illam existentiam reciperet ab Igne B. non potest ipso esse prior signo à quo, saltem pro vt consideratur vt effectus, quod si velis ipsum considerare vt causam, tunc dicere possumus, præsuponi ad Ignem B., etiam præsupositione à quo, sed hoc se tenebit tan-

tum

tum penes nos volentes ipsum comparare vt causam, non vt effectum, sed hæc vltima responsio minus solida quam aliæ duæ.

Arguunt tertiò. si daretur mutua causalitas, daretur circulus vitiosus. quod sic ostenditur. quia interoganti cur Ignis A., est à parte rei? responderetur *quia fuit productus ab Igne B.* & e contra de Igne B., responderetur, *quia fuit productus ab Igne A.*, sed hoc videtur absurdum.

Respondeo in primis, hunc esse circulum vitiosum tantum apud illos, qui negant mutuam causalitatem, deindè dico, circulum vitiosum in rigore esse illum, in quo assignatur idem per Idem tantum mutatis vocabulis, vt si dicerem, quare est fæmina; & responderetur *quia est mulier*, & viceuersa.

Quod si ad liberalitatem adhuc concederetur, quod supradictus esset circulus vitiosus, quid tum? an per hoc esset impossibilis mutua causalitas, absit, tot enim vitiosa sunt, quæ

non ſolum poſſibilia ſunt, ſed ſunt de facto.

Arguunt quartò. ſemel admiſſa mutua cauſalitate, nulla daretur euidentia de Deo, ſed hoc eſt contra regulas Theologiæ Maiorem, ſic oſtendunt, quia admiſſa mutua cauſalitate, vnum eſſet ab alio, & aliud viciſſim ab illo, ſicque non deueniendum eſſet ad aliquod primum Principium, à quo omnia eſſent, & ipſum à nullo eſſet. ſi Aduerſarius legiſſet primum Articulum meæ Phyloſophiæ, hoc argumento vſus non eſſet.

Reſpondeo in primis eſſe valde probabilem ſententiam illorum Theologorum, qui aſſerunt, præciſa fide, nullam dari euidentem demonſtrationem de Deo; deindè, aliud eſt, qua poſſit dari mutua cauſalitas, aliud eſt, quod in omni caſu, & ſerie rerum poſſit dari mutua cauſalitas, ſicuti aliud eſt, quod poſſit dari rugibile, aliud eſt, quod omne Animal ſit rugibile, adeoque ex mutua cauſalitate, non bene deducitur, quod in om-

ni casu etiam deueniendo ad Deum detur &c.

DIFFICVLTAS XXVIII.

An actio consistat in modo, vel in complexo.

CONclusio. si hæc quæstio consistit in re, non in modo loquendi, dicendum est, actionem esse modum superadditum.

Probatur primò. actio causæ denominat causam agentem Physicè, ergo distinguitur a causa agente Physice (nota ly *agente*, ne vtaris illa ridicula distinctione de causa secundum else simplex, & secundum esse complexum) Probatur Consequentia, *forma denominans materiam vt informatam*, distinguitur a materia etiam vt informata, ergo actio denominans causam vt agentem distinguitur ab ipsa etiam, & agente, sicque distinguitur ab ipsa etiam sumpta secundum esse complexum.

Ex

Et hoc argumentum sic magis instauro. forma vt informans est denominatiuum intrinsecum, cum sit in genere causæ formalis, at actio, est denominatiuum ferè extrinsecum, cum sit in genere causæ efficientis, & tamen forma licet intrinseca distinguitur à materia, etiam vt informata, ergo multo magis actio distinguetur à causa, etiam vt agente, sicque a causa secundum esse complexum.

Probatur secundò. duæ actiones non identificantur inter se, vt patet in actione elicita heri, & elicita hodiè, ergo nec identificantur cum causa, sicque consistunt in modo superaddito.

Probatur Consequentia, quia in creatis, quando tertium non est aliquod Vniuersale sicuti, ens vt sic, id quod identificatur cum tertiò debet identificari cum alio cum tali tertiò identificato.

Confirmo. non potest dici hæc propositio *substantia est accidens*, ergo implicat dici, *causa est actio* cum causa

ſa aliquando ſit ſubſtantialis, & actio ſit accidentalis, vt patet in calefactione proueniente ab Igne.

Arguunt primò. nequit aſſignari in quonam recipiatur hic modus, quia nequit recipi in agente, ſecus deberet etiam recipi in agente, primò, ſcilicet in Deo, non in ſubiecto, quia ſaltem in actione creatiua ſubiectum non datur, non in termino, quia actio præcedit terminum.

Reſpondetur, quod quando actio eſt generatiua recipitur in ſubiecto, quando creatiua, ſi agens ſit materiale recipitur in ipſo, ſi ſpirituale, & ſupponamus, quod hoc titulo illi repugnet receptio modi, illi adhæret.

Inſtabis contra hoc vltimum. adhærere eſt proprium accidentis, ergo ſi ſupponatur actio ſubſtantialis non poterit hæc adhærere agenti. Sed Contra. in primis aliud eſt adhærere, aliud inhærere; primum non eſt proprium accidentis, benè autem ſecundum, deindè dico, quod adhærere ſubiecto eſt proprium accidentis,

non sic adhærere agenti, vel alicui alteri.

Arguunt secundò. vel iste modus est substantia, vel accidens, si accidens, ergo non potest constituere actionem substantialem, si substantia, hoc non, quia actio est in prædicamento accidentis. quam benè hoc argumentum potest retorqueri contra Complexistas; nam complexum, vel est substantia, vel accidens, non accidens, quia constituere non potest actionem substantialem, non substantia, quia actio est *in* prædicamento accidentis.

Respondeo, posse esse vtrumque; ad id, quod additur primò dico, quod quando actio erit accidentalis, hic modus erit accidentalis, si substantialis, actio pariter erit substantialis; ad id, quod additur secundò dicendum, quod actio accidentalis est in prædicamento accidentis, non sic substantialis.

Arguunt tertiò. Causa sufficienter denominatur agens per actionem, ergo

ergo ſuperfluit modus ſuperadditus. Antecedens valet ex paritate, conſequentia currit.

Reſpondeo eſſe concedendum manibus, & pedibus Antecedens, negandã Conſequentiã, nam licet conſentiamus in hoc, quod cauſa denominetur agens per actionem, tamen diſputamus, in quo conſiſtat hæc actio, & dicimus, conſiſtere in modo ſuperaddito.

Inſtabis, quia paries ſufficienter dealbatur per albedinem, præter ipſam formam dealbantem nil aliud quæritur, ergò, quia cauſa ſufficienter denominatur agens per actionem, præter cauſam agentem nihil aliud quærendum eſt. Sed Contra. etiam in dealbatione præter parietem dealbatum, & formam dealbantem requiritur nexus inter hanc formam, & parietem, per conſequens doctrina contra nos emiſſa nobis fauet.

Arguunt quartò. cauſa habet virtutem immediatè productiuam effe-

ctus, ergò inter causam, & effectum non debet mediare aliquid superadditum, seù modus distinctus.

Respondeo, causam habere virtutem immediatè productiuam in hoc sensu, quatenus inter causam, & effectum nihil mediat, quod habeat ratione causæ, non verò quatenus non indigeat actione distincta, eo modo, quò hæc propositio; *Intellectus est immediatè Intellectinus* est vera quatenus inter Intellectum, & obiectum nil mediat, quod se habeat tamquam causa cognitionis, non verò quatenus non indigeamus aliquo sensu, mediante quo attingatur in via obiectum.

DIFFICVLTAS XXIX.

Examinatur actiuitas tum substantiæ, tum Accidentis.

COnclusio prima. substantia est immediatè productiua tum substantiæ tum accidentis. est saltem

quo

quod ad primam partem contra Thomistas.

Probatur prima pars. quia per Thomistas accidens producit in virtute substantiæ, ergo substantia est immediatè productiua. Probatur Consequentia. quia producere in virtute substantiæ est substantiam ipsam producere, cum virtus rei non distinguatur à re Confirmo. per Thomistas virtus substantialis est substantia, sed hæc producitur per ipsos imediatè, non mediante alio accidente, ergò etiam quęlibet alia substantia sic producitur.

Secunda pars vix indiget probatione, cum enim Aqua tepefacta possit se reducere ad pristinam frigiditatem, signum est, quod substantia possit immediatè, & sine adiutorio accidentis mediantis producere accidens.

Conclusio secunda. si ad agen dum sufficit proportio habitudinis, etiam accidens potest producere substantiam.

Probatur. quia ad hoc vt Intelle-

Secundum Argumentum, quod nonnulli vocant insolubile est quia: Ignis A., v. g. ad hoc vt producat Ignem B., debet supponi existens, ergò non potest amplius produci ab Igne B., quia implicat actum agere.

Respondeo hunc Achillem posse triplici modo interimi. in primis dicendo cum Thomistis non requiri quod Ignis A., existat à parte rei dum producit; secundò dicendo, quod per nos non implicat etiam naturaliter actum agere; tertiò dicendo, quod ignis A., debeat præsuponi existens præsupositione *in quo*, non præsupositione *à quo*, debet præsuponi existens signo in quo, quia in eodem instanti, in quo producit debet esse existens, non vero signo à quo, quia cum illam existentiam reciperet ab Igne B. non potest ipso esse prior signo à quo, saltem pro vt consideratur vt effectus, quod si velis ipsum considerare vt causam, tunc dicere possumus, præsuponi ad Ignem B., etiam præsupositione à quo, sed hoc se tenebit tan-

tum penes nos volentes ipsum comparare vt causam, non vt effectum, sed hæc vltima responsio minus solida quam aliæ duæ.

Arguunt tertiò. si daretur mutua causalitas, daretur circulus vitiosus. quod sic ostenditur. quia interoganti cur Ignis A., est à parte rei? responderetur *quia fuit productus ab Igne B.* & e contra de Igne B., responderetur, *quia fuit productus ab Igne A.*, sed hoc videtur absurdum.

Respondeo in primis, hunc esse circulum vitiosum tantum apud illos, qui negant mutuam causalitatem, deindè dico, circulum vitiosum in rigore esse illum, in quo assignatur idem per Idem tantum mutatis vocabulis, vt si dicerem, quare est fæmina; & responderetur *quia est mulier*, & viceuersa.

Quod si ad liberalitatem adhuc concederetur, quod supradictus esset circulus vitiosus, quid tum? an per hoc esset impossibilis mutua causalitas, absit, tot enim vitiosa sunt, quæ

non solum possibilia sunt, sed sunt de facto.

Arguunt quartò. semel admissa mutua causalitate, nulla daretur euidentia de Deo, sed hoc est contra regulas Theologiæ Maiorem, sic ostendunt, quia admissa mutua causalitate, vnum esset ab alio, & aliud vicissim ab illo, sicque non deueniendum esset ad aliquod primum Principium, à quo omnia essent, & ipsum à nullo esset. si Aduersarius legisset primum Articulum meæ Phylosophiæ, hoc argumento vsus non esset.

Respondeo in primis esse valde probabilem sententiam illorum Theologorum, qui asserunt, præcisa fide, nullam dari euidentem demonstrationem de Deo; deindè, aliud est, qua possit dari mutua causalitas, aliud est, quod in omni casu, & serie rerum possit dari mutua causalitas, sicuti aliud est, quod possit dari rugibile, aliud est, quod omne Animal sit rugibile, adeoque ex mutua causalitate, non bene deducitur, quod in omni

ni casu etiam deueniendo ad Deum detur &c.

DIFFICVLTAS XXVIII.

An actio consistat in modo, vel in complexo.

COnclusio. si hæc quæstio consistit in re, non in modo loquendi, dicendum est, actionem esse modum superadditum.

Probatur primò. actio causæ denominat causam agentem Physicè, ergo distinguitur a causa agente Physice (nota ly *agente*, nè vtaris illa ridicula distinctione de causa secundum esse simplex, & secundum esse complexum) Probatur Consequentia, forma denominans materiam vt informatam, distinguitur a materia etiam vt informata, ergo actio denominans causam vt agentem distinguitur ab ipsa etiam, & agente, sicque distinguitur ab ipsa etiam sumpta secundum esse complexum.

Ex

Et hoc argumentum sic magis instauro. forma vt informans est denominatiuum intrinsecum, cum sit in genere causæ formalis, at actio, est denominatiuum ferè extrinsecum, cum sit in genere causæ efficientis, & tamen forma licet intrinseca distinguitur à materia, etiam vt informatà, ergo multo magis actio distinguetur à causa, etiam vt agente, sicque a causa secundum esse complexum.

Probatur secundò. duæ actiones non identificantur inter se, vt patet in actione elicita heri, & elicita hodiè, ergo nec identificantur cum causa, sicque consistunt in modo superaddito.

Probatur Consequentia, quia in creatis, quando tertium non est aliquod Vniuersale sicuti, ens vt sic, id quod identificatur cum tertiò debet identificari cum alio cum tali tertiò identificato.

Confirmo. non potest dici hæc propositio *substantia est accidens*, ergo implicat dici, *causa est actio* cum causa

sa aliquando sit substantialis, & actio sit accidentalis, vt patet in calefactione proueniente ab Igne.

Arguunt primò. nequit assignari in quonam recipiatur hic modus, quia nequit recipi in agente, secus deberet etiam recipi in agente, primò, scilicet in Deo, non in subiecto, quia saltem in actione creatiua subiectum non datur, non in termino, quia actio præcedit terminum.

Respondetur, quod quando actio est generatiua recipitur in subiecto, quando creatiua, si agens sit materiale recipitur in ipso, si spirituale, & supponamus, quod hoc titulo illi repugnet receptio modi, illi adhæret.

Instabis contra hoc vltimum. adhærere est proprium accidentis, ergo si supponatur actio substantialis non poterit hæc adhærere agenti. Sed Contra. in primis aliud est adhærere, aliud inhærere; primum non est proprium accidentis, benè autem secundum, deindè dico, quod adhærere subiecto est proprium accidentis,

non sic adhærere agenti, vel alicui alteri.

Arguunt secundò. vel iste modus est substantia, vel accidens, si accidens, ergo non potest constituere actionem substantialem, si substantia, hoc non, quia actio est in prædicamento accidentis. quam benè hoc argumentum potest retorqueri contra Complexistas; nam complexum, vel est substantia, vel accidens, non accidens, quia constituere non potest actionem substantialem, non substantia, quia actio est in prædicamento accidentis.

Respondeo, posse esse vtrumque; ad id, quod additur primò dico, quod quando actio erit accidentalis, hic modus erit accidentalis, si substantialis, actio pariter erit substantialis; ad id, quod additur secundò dicendum, quod actio accidentalis est in prædicamento accidentis, non sic substantialis.

Arguunt tertiò. Causa sufficienter denominatur agens per actionem, ergo

ergo ſuperfluit modus ſuperadditus. Antecedens valet ex paritate, conſequentia currit.

Reſpondeo eſſe concedendum manibus, & pedibus Antecedens, negandã Conſequentiã, nam licet conſentiamus in hoc, quod cauſa denominetur agens per actionem, tamen diſputamus, in quo conſiſtat hæc actio, & dicimus, conſiſtere in modo ſuperaddito.

Inſtabis, quia paries ſufficienter dealbatur per albedinem, præter ipſam formam dealbantem nil aliud quæritur, ergò, quia cauſa ſufficienter denominatur agens per actionem, præter cauſam agentem nihil aliud quærendum eſt. Sed Contra. etiam in dealbatione præter parietem dealbatum, & formam dealbantem requiritur nexus inter hanc formam, & parietem, per conſequens doctrina contra nos emiſſa nobis fauet.

Arguunt quartò. cauſa habet virtutem immediatè productiuam effe-

ctus, ergò inter causam, & effectum non debet mediare aliquid superadditum, seù modus distinctus.

Respondeo, causam habere virtutem immediatè productiuam in hoc sensu, quatenus inter causam, & effectum nihil mediat, quod habeat ratione causæ, non verò quatenus non indigeat actione distincta, eo modo, quò hæc propositio; *Intellectus est immediatè Intellectiuus* est vera quatenus inter Intellectum, & obiectum nil mediat, quod se habeat tamquam causa cognitionis, non verò quatenus non indigeamus aliquo sensu, mediante quo attingatur in via obiectum.

DIFFICVLTAS XXIX.

Examinatur actiuitas tum substantiæ, tum Accidentis.

CONclusio prima. substantia est immediatè productiua tum substantiæ tum accidentis. est saltem

quo

quod ad primam partem contra Thomiſtas.

Probatur prima pars. quia per Thomiſtas accidens producit in virtute ſubſtantiæ, ergo ſubſtantia eſt immediatè productiua. Probatur Conſequentia. quia producere in virtute ſubſtantiæ eſt ſubſtantiam ipſam producere, cum virtus rei non diſtinguatur à re Confirmo. per Thomiſtas virtus ſubſtantialis eſt ſubſtantia, ſed hæc producitur per ipſos imediatè, non mediante alio accidente, ergò etiam quęlibet alia ſubſtantia ſic producitur.

Secunda pars vix indiget probatione, cum enim Aqua tepefacta poſſit ſe reducere ad priſtinam frigiditatem, ſignum eſt, quod ſubſtantia poſſit immediatè, & ſine adiutorio accidentis mediantis producere accidens.

Concluſio ſecunda. ſi ad agendum ſufficit proportio habitudinis, etiam accidens poteſt producere ſubſtantiam.

Probatur. quia ad hoc vt Intelle-

ctus finitus attingat obiectum infinitum sufficit proportio habitudinis; ad hoc vt entitas vt duo occupet in motu spatium vt quatuor sufficit per multos proportio habitudinis, seu virtutis, ergo etiam ad hoc vt accidens possit producere substantiam, sufficiet proportio habitudinis.

Dices. dato etiam, quod ad producendum sufficeret proportio habitudinis; adhuc remanet probandum, quod accidens habeat hanc habitudinem, non enim omnibus conceditur. Sed Contra. habitudo in accidentibus deducitur tum ex experientijs, quibus videmus calorem producere metalla in visceribus terræ, ranas &c. tum ex paritate aliarum rerum, quæ licet sint inferiores in entitate, tamen sunt æquales in habitudine, vt supra.

Dices adhuc. metalla in visceribus terræ producuntur effectiuè a Sole, & dispositiuè tantum a calore. Sed Contra hæc responsio petit principium, nam si interrogemus, cur accidens

cidens tantum dispositiuè producit; statim respondetur, quia est inferius, & improportionatum, & nos statim dicimus, sufficere proportionem, & æqualitatem habitudinis.

Arguunt primò contra primam. ad hoc vt distinguatur substantia creata ab Increata debet ista posse immediatè producere substantiam, ergo saltem substantia creata debet posse producere aliam substantiam solum medijs accidentibus; quam benè posset in Aduersarios, proprium ipsorum telum retorqueri, nam si substantia increata distinguitur a creata per id, quod in obiectione assignatur, etiam accidens creatum non poterit substantiam immediatè producere, cum non minus Deus distinguatur ab Accidente creato, quam a substantia.

Respondeo, sufficienter distingui substantiam Increatam à Creata per hoc, quod illa sit supernaturalis, hæc naturalis prima a se, ista ab alio &c.

Arguunt secundò. quia si substantia

tia creata esset principium operatiuum, semper deberet actu operari, sicuti ex eo, quod Anima sit principium operatiuum semper actu viuit, qui actu habet Animam, sed hoc videtur absurdum ergo. Hoc argumentum fauet Aristoteli, nam constringit Deum, qui est causa substantialis ad ponendum mundum ab æterno.

Respondeo Nego Maiorem, nec paritas de Anima valet, quia illa est in genere causæ formalis, & causa formalis habet hoc, quod eo ipso, quo est in subiecto præstat suos effectus saltem præcipuos, vt est vita in Homine. at substantia de qua loquimur est in genere causæ efficientis, propterea &c.

Instabis. Vita ab aliquo efficienter debet esse, sed a nullo alio esse potest præterquam ab Anima, ergo Anima respectu vitæ est causa efficiens. Sed Contra. quidquid sit an Anima respectu vitæ sit causa efficiens, est tamen causa efficiens vt connexa cum cau-

causalitate formali, quia ideò facit viuere illud corpus, quia illud corpus informat.

Arguunt tertiò quod principium constitutiuum debet distingui ab operatiuo, cum autem substantia sit principium constitutiuum, non potest esse operatiuum.

Respondeo in primis hoc Argumentum premere suos Auctores, cum enim accidens sit constitutiuum concreti accidentalis, neque ipsum poterit esse operatiuum; deinde directè nego Antecedens, quia eadem rationalitas, & est constitutiua hominis, & productiua discursus.

Si afferrantur nonnullæ Auctoritates D. Th., & Aristotelis, qui videntur innuere, substantiam numquam agere, nisi medijs accidentibus dicas, has esse intelligendas, vel de accidentibus se habentibus dispositiuè, vel de actione accidentali, & alteratiua, de qua pariter procedit illud axioma, quod *actio sit inter contraria*.

Arguunt quartò contra secundam. calor nequit producere Ignem, ergo Accidens nequit producere substantiam, Antecedens sic ostendunt. calor nequit producere suam causam, ergo nequit producere Ignem. in mea sententia asserente, non implicare mutuam causalitatem, hoc argumentum nihil ferit.

Respondeo tamen ad summum ab argumento deduci, non posse accidens producere illam substantiam, quæ fuit eius causa, non verò aliam substantiam, vndè calor productus ab Igne A. posset producere Ignem B.

DIFFICVLTAS XXX.

De potentia creatiua.

Conclusio. etiam si ad creandum requireretur virtus infinita, non per hoc repugnaret virtus creatiua in Creatura. sub his terminis nullius est, quem viderim.

Pro-

Probatur. Etiam si ad creandum requireretur virtus infinita, non tamen implicaret hęc virtus à Deo participata, vt infra videbimus, ergò etiam si ad creandum requireretur virtus infinita non tamen implicaret Creatura Creatiua. Confirmo. ideò non implicat attingi Deum Infinitum ab Intellectu finito, quia sufficit, quod Intellectus sit infinitus tantum terminatiuè, ergo etiam non implicat attingi creationem infinitam à causa naturali, quia sufficeret, quod ista causa esset infinita tantum terminatiuè, seù quo ad effectum, quem attingit.

Probant aliqui hanc conclusionem ex eo, quod ad creandum requiritur tantum, quod suppleatur concursus materiæ, & iste concursus est aliquid finitum. Sed hanc probationem nunquam capere potui, quia non debet supleri id, quod non requiritur, vt patet in visione vbi non suplerctur supernaturalitas mediante lumine gloriæ, si ista non requireretur ad

visionem; cum igitur ad creationem non requiratur concursus materiæ, non est, cur supleatur.

Arguunt primò. tritum illud *ex nihilo nihil fit*, quod si deberet intelligi in rigore neque Deo esset concedenda virtus Creatiua, cum Axioma vt potè malignantis naturæ totum neget.

Respondeo, hoc axioma vel esse intelligendum, quod nihil fiat per generationem, non per creationem, vel ad summum, quod nihil fiat de facto, non de possibili.

Instabis est vera tùm de facto, tùm de possibili hæc propositio. *à nihilo nihil fit*, ergò etiam est vera hæc alia tùm de facto tùm de possibili *ex nihilo nihil fit*; cum maximè secunda propositio importet dependentiam in genere causæ intrinsecæ, & prima in genere causæ extrinsecæ, nempè efficientis. Sed contra ratio disparitatis est quia Creatura est ens ab alio, non verò est ens ex alio; ad illud, quod additur de dependentia magis intrin-

seca

ſeca dico, quod eſſe ex alio licet concederetur, quod in aliquo ſenſu ſit magis intrinſecum, attamen quia non eſt prædicatum competens cuilibet Creaturæ, ſicuti eſt ens ab alio, ideò &c.

Arguunt ſecundò. quod iſta Creatura eſſet cauſa vniuerſaliſſima, quia attingeret quodcunq; Creabile; ſicut enim ſemel conceſſa potentia viſiua, poteſt hæc attingere omne coloratum, ita ſemel conceſſa potentia creatiua, deberet attingere omne creabile.

Reſpondeo, hanc cauſam non fore vniuerſaliſſimam, ad id, quod additur de potentia viſiua dico, illud pro me facere; ſicut enim potentia viſiua non attingit niſi id, quod eſt viſibile, non verò ſe extendit ad audibile, odoroſum &c. ita à pari ignis v.g. ſi creatiuus eſſet non ſe extenderet niſi ad illud, quod habet in sfera ſuæ actiuitatis. addo, quod ſi hoc argumentum valeret neque poſſet dari Creatura generatiua. quia ſicuti ex potentia Crea-

Creatiua deducitur, quod posset attingi omne creabile, ita ex potentia generatiua deduceretur, quod posset attingi omne generabile.

Quod si rem medullitus examinemus, etiam si detur ad liberalitatem, quod Creatura Creatiua esset potens attingere omne creabile, an ne per hoc esset causa vniuersalissima? absit, nam præter creabile datur generabile, augmentabile, alterabile &c.

Instabis contra responsionem. licet album nigrum, & viride distinguantur specie, tamen possunt attingi ab eodem oculo, ergo etiam si Ignis, & alius effectus sint diuersæ speciei possunt attingi ab eodem Igne Creatiuo. Sed contra. concedenda est consequentia si intelligatur de ijs effectibus, qui continentur in actiuitate Ignis vt calor, lux, siccitas, &c.

Arguunt tertiò cum Ouiedo. non potest Creatura operari immanenter, nisi eius actio recipiatur, ergò nec potest operari transeunter, nisi eius actio recipiatur in subiecto, sicq; non

non poteſt operari creatiuè. reſponſio communis eſt, quod actio immanens habet hoc qua immanens eſt, non qua actio Creaturæ eſt, & per conſequens Creatura poteſt operari tranſeunter, etiam nullo interueniente ſubiecto.

Inſtari tamen poteſt. quod actio Dei immanens eſt, & tamen non recipitur, quia in Deo non datur potentia receptiua, ergo hoc, quod eſt debere actionem recipi, non prouenit à titulo immanentiæ, ſed ex titulo Creaturæ. Sed contra actio Dei, & ipſa recipiatur ſi non realiter actualiter, ſaltem virtualiter, quia Intellectio Dei æquiualet Potentiæ Intelligenti, obiecto intellecto, & potentiæ receptiuæ talis Intellectionis.

Eo vlterius, & dico, quod quidem fieri ex aliquo deſtruit Creationem; non ſic recipi in aliquo, ſic Anima recipitur in corpore non tamen generatur; & ſic etiamſi demus Ouiedo, quod actio Creaturæ debeat eſſe in ſubiecto, non per hoc erit generatiua,

tiua, cum ad hoc requiratur fieri ex subiecto.

Arguunt quartò. hæc virtus Creatiua vel foret materia, vel forma, non forma, quia sicut hæc dependet à materia in essendo, ita dependet in operando non materia; quia ista deberet suplere se ipsam, quod implicat. in mea sententia, in qua non implicat substantia, quæ nec sit materia, nec forma, Argumentum vacillat.

Respondeo, posse esse vtramque; ad id, quod additur primò est falsum, quod illud, quod dependet ab aliquo in essendo dependeat ad operando, vt patet in fructu, qui dependet ab arbore in essendo, non sic in nutriendo, cum quando nutrit, sit præcisus ab Arbore. ad illud de materia in primis, vt supra probaui, falsum est, quod in Creatione debeat supleri concursus materiæ. deinde non implicat, quod idem, vt est agens, supleat se ipsum vt est materia.

Arguo ego quintò. Creatio ignis debet fieri ex nihilo cuiuscunque subiecti,

biecti, ergo debet opponi cuicumque nihilo, ſed ens, quod opponatur cuicumque nihilo naturaliter non poteſt fieri ergò. Antecedens ſic oſtendo. quando creatur Ignis non ſolum non interuenit pro ſubiecto materia ignis, ſed neque materia ligni materia, lapidis, & breuiter nullum ſubiectum interuenit, ergo ignis, qui creatur fit ex nihilo cuiuſcumque ſubiecti, ſicque opponitur nihilo cuiuſcumque ſubiecti, non verò tantum tali nihilo, vt communiter dici ſolet.

Reſpondeo, quod *Ignis* tantum habet de oppoſitione ad *nihil*, quantum habet de ente, & quia de ente habet hoc eſſe particulare, ita &c. ad id, quod additur de non interuenientia ſubiectorum dico, illam impertinenter ſe habere ad Ignem, quia etiam ſi eſſet impoſſibilis illa interueniencia, & ſolum eſſet poſſibilis materia ignis, dummodo ignis non fieret ex materia ignis, adhuc diceretur creatus, eo modo, quo adhuc Intelligeret vt compoſitum Ignis in fieri, etiam

etiam si ad ipsum non interueniret, priuatio ferri, lapidis &c., dummodò interueniat priuatio Ignis.

Spontè omitto argumenta, quæ tangunt infinitatem creationis, quia, vt supra clarum est, me non feriunt.

DIFFICVLTAS XXXI.

De Potentia Obedientiali.

Conclusio prima. Qui saltem in ordine ad aliquos effectús negat potentiam Obentialem, difficilè saluat nonnulla misteria fidei. iam notum est potentiam obedientialem, esse quandam virtutem ad obediendum Deo in ordine ad id, quod est supra vires naturæ.

Probatur; quia difficilè saluatur quomodo Anima eliciat actus supernaturales meritorios, & actus visionis beatificæ, & item quomodo Anima recipiat habitum gratiæ, fidei, spei &c. sine hac potentia tum actiua, tum passiua.

Dices.

Dices. pro potentia passiua. hæc dona recipi in alio principio supernaturali vnito Animæ. Sed Contra in primis sic redderentur impropriæ illæ dictiones, quibus innuitur, Animam recipere gratiam, Animam reddi Sanctam &c. Secundò. Anima vel recipit hoc principium supernaturale mediante alio, vel non; si primum, ergo datur processus in infinitum; si secundum, ergò sicuti recipit illud principium supernaturale, poterit etiam per potentiam obedientialem recipere alia dona supernaturalia.

Conclusio secunda. semel admissa potentia obedientiali ad aliquos effectus, debet admitti in omnibus rebus, & ad omnes res, quæ non sint entia rationis.

Probatur. ratio, cur admittatur potentia obedientialis, quo ad aliquos effectus, est quia Deus est liber, & quo ad substantiam, & quo ad modum, & ideò potest rem vel immediatè per se ipsam, vel mediante aliqua creatura produ-

producere, ſed hæc ratio valet quo ad omnes effectus, cum à nullo lædatur libertas Dei, ergò. Confirmo. quia potentia obedientialis fundatur in dependentia quam habet Creatura ad Deum; ſed hæc dependentia, cum ſit Vniuerſalis debet dari quo ad omnes effectus, ergo datur potentia obedientialis in ordine ad omnes effectus.

Hinc habes, poſſe lapidem titulo huius potentiæ obedientialis recipere imò & elicere actus vitales, gratiam, gloriam &c. quæ omnia apud aliquos videntur erronea.

Arguunt primò. Nec frigus poteſt produci a calore, nec ſpecies obiecti nigri ab obiecto albo, ergo non datur in Creatura potentia obedientialis in ordine ad quoslibet effectus.

Reſpondeo nego Maiorem quo ad vtramque partem, quia ſicut eadem Anima eſt amatiua, & oditiua, ita eadem qualitas poteſt eſſe calefactiua, & frigefactiua ſimul. ad illud de ſpecie dico, quod obiectum nigrum poteſt producere ſpeciem albi, ſed non

tam-

tamquam sui similitudinem, sed tamquam effectum ab ipso efficiente productum.

Instabis primò. si frigus esset frigefactiuum, & calefactiuum simul non esset maior ratio, cur deberet denominari frigus, & non calor. Sed Contra. in denominationibus apud nos debent attendi illi effectus, qui ordinariò, & sine eleuatione præstantur, & quia frigus sine eleuatione frigefaceret, licet supposita eleuatione etiam calefaceret, ideò &c.

Instabis secundò. obiectum non producit speciẽ nisi tamquam sui similitudinem, ergò si obiectum nigrum nequit producere speciem albi, tamquam sui similitudinem, nullo modo poterit ipsam producere. Sed Contra verum est Antecedens stando potentiæ naturali, non sic stando potentiæ obedientiali. vel dicas, quod si non implicat species, quæ in repræsentando sit æquiuoca, non implicabit, quod obiectum album producat speciem obiecti nigri etiam tamquam sui similitudinem.

Ar-

Arguunt secundò. ad productionem requiritur aliqua proportio, sed nulla est assignabilis proportio inter rem spiritualem, & rem materialem, inter rem naturalem, & supernaturalem, ergo nulla datur potentia obedientialis &c.

Respondeo inter rem naturalem eleuatam, & supernaturalem dari proportionem, quia res naturalis eleuata est etiam ipsa in ordine supernaturali constituta. & similiter dico in ordinem ad rem materialem eleuatam comparatam ad rem spiritualem.

Instabis. eleuatio nihil facit nisi quod supernaturalizat rem, ergò non dat proportionem inter rem materialem, & spiritualem, quia diuersus est conceptus spiritualitatis, & supernaturalitatis. hæc instantia benè examinata non est facilè solubilis. posset tamen dici, quod licet sit diuersus conceptus spiritualis, & supernaturalis, potest tamen vnus alium virtualiter continere, sicuti, licet sit diuer-

sus

ſus conceptus Creatoris, & Creaturæ tamen primus virtualiter continet ſecundam, vndè ſupernaturale poterit ſuplere etiam pro ſpirituali, cum maximè qualitas eleuans ſit indiuiſibiliter, & ſupernaturalis, & ſpiritualis.

Arguunt tertiò. non poteſt Angelus recipere quantitatem, ergò non datur potentia obedientialis ad quodlibet. Antecedens ſic oſtendunt, ille non poteſt recipere quantitatem, qui non poteſt recipere effectus formales quantitatis, ſed Angelus nequit recipere effectus formales quantitatis, cum non poſſit fieri extenſus, impenetrabilis &c. ergò.

Communis reſponſio eſt, quod quantitas poſſit poni in Angelo, licet Angelo non poſſit tribuere effectus formales ſecundarios, nempe impenetrabilitatis, extenſionis, &c. Sed quia hæc reſponſio laborat in aſſignando, cur in Angelo poſſit poni primarius effectus quantitatis, nempè informatio, non verò poſſint poni ſe-

cun-

cundarij ideò absolutè dicendum est, quod in Angelo possit poni quantitas cum effectu tùm primario, tùm secundario impenetrationis, extensionis &c., & licet Angelus ex natura sua sit penetrabilis, hoc est verum stando potentiæ naturali, non sic obedientiali.

Arguunt quartò. habitus fidei, & Charitatis nequeunt poni in lapide, & similiter alij actus vitales, ergò non datur potentia obedientialis, quò ad omnes effectus. sumus in apice difficultatis, & solet responderi, quod habitus fidei, & Charitatis, possunt poni in lapide, licet non possint reddere lapidem credentem, amantem &c. Sed demus laudem, & potentiam Deo.

Respondeo, posse lapidem informari habitu fidei, Charitatis, & elicere actus vitales stando potentiæ obedientiali, rursus posse reddi amantem, credentem &c. quia licet stando potentiæ naturali credere, & amare spectet ad potentiam vitalem, stando

tamen

tamen potentię obedientiali isti actus elici possunt ab aliqua alia re adiuta qualitate supernaturali.

Instabis primò. non datur potentia obedientialis ad impossibile, sed quod actus vitalis fiat ab alio, præterquam à suo principio, est impossibile, ergò ad hoc non datur potentia obedientialis. Sed Contra subtiliter consideranda res est, vel enim pro principio Intelligitur principium naturale, & sic est impossibile, quod actus vitalis sit ab alio naturaliter præterquam à suo Principio, vel Intelligitur de Principio obedientiali, & sic actus vitalis, dum fit à principio obedientiali, fit à suo principio cum principium obedientiale sit principium vniuersale tendens in omne id, quod non implicat.

Instabis secundò. potentia obedientialis est supra, non contra naturam, sed, si actus vitalis posset esse ab alio, præterquam à suo principio non solum esset supra. Sed etiam Contra rationem principij vitalis, ergò. Sed

Contra. in primis potentia obedientialis non est contra naturam in hoc sensu, quatenus ipsam non destruit, sed potius perficit, non vero in hoc alio sensu, quatenus per potentiam obedientialem non producatur aliquandò effectus contrarius effectui naturaliter debito. Secundò dico, quod actum vitalem fieri à principio obedientiali, est quidem contra naturam non eleuatam, non sic contra naturam eleuatam, seù eleuabilem.

DIFFICVLTAS XXXII.

Quid sentiendum de concursu simultaneo.

CONclusio. concursus simultaneus debet admitti; melius tamen debuisset Impugnari Durandus. est Ariagæ. Prima pars non indiget probatione, tum quia est omnium ferè Catholicorum, tum quia, quod Deo fauet, & alteri non nocet admittendum est, sed ita se habet concursus

simul-

simultaneus, vt patet consideranti; videamus modo infirmitatem rationum, quæ solent ferri contra Durandum.

Primò solent afferri nonnullæ Auctoritates Scripturæ, puta Isaiæ Actorum. &c. Sed istæ commodè explicari possunt de concursu mediato, eo modo, quo ista propositio. *Rex ille bellum gerit cum alio* debet intelligi, vel immediatè, vel mediante aliquo Generalissimo Duce.

Secundò. quia omnes ens per participationem debet dependere a Deo, sed Creatura est ens per participationem, ergò debet dependere à Deo. Sed hoc argumentum facili modo soluitur dicendo, quod omne ens per participationem debet dependere à Deo, vel mediatè, vel immediatè, eo modo, quo pictura est ens per participationem, & tamen non pendet à Pictore, nisi mediante penicillo.

Tertiò. quia si Deus non concurreret immediatè ad effectus Creaturarum, nec posset illos impedire, quod

enim non prodest, nec obest. Sed Contra sunt mille modi respondendi in primis dicendo, quod sequela deberet dicere sic. *si non concurreret nec impediret*, non verò *nec posset impedire*; secundò. quod sicuti per Durandum concurrit mediante agente creato, ita mediante eodem posset impedire. tertiò, quod posset impedire per negationem suæ permissionis, quæ tamquam conditio, sine qua non, requiritur ad omnem operationem.

Quartò. quia si causa ageret sine concursu Dei, esset causa prima, & sic darentur plures causæ primæ. Sed Contra causa prima est illa, quæ operatur per virtutem imparticipatam, & non conseruatam ab alio, quod non verificaretur de causa creatà in nostro casu. addo, quod concursus simultaneus impertinenter se habet ad ostendendum, Deum esse causam primam. ex duobus enim quæ simultaneè concurrunt neutrum, saltem in illo casu, se habet vt primum.

Quintò, quia perfectius agens inhum

illud

illud est, quod est imediatum quam illud, quod fit mediante alio; sed si diceret Durandus, quod decentius est illud dominium, quod fit mediantibus ministris, vt solent Reges, quam si ipsi Reges immediatè suspenderent reos, iudicarent &c. quid diceretur?

Vltimò quia sicuti Deus non solum non est ab alio, sed neque est ab alio Deo, ita Creatura non solum est ab alio, sed etiam debet esse à Deo, ad hoc vt Deus, & Creatura perfectè opponantur. Deus bone quam rideret Durandus, si audiret hoc argumentum. nam posset sic arguere. Deus non solum est ens à se, sed etiam est ens, ergò Creatura, adhoc vt perfectè opponatur Deo, non solum non debet esse ens à se, sed neque debet esse ens? quis deglutiet?



Probatur alio modo, quia Indiuiduationes rerum fuerunt determinatæ ab æterno, ergò, cum tunc nec fuerint circumſtantia loci, temporis, Agens, vel materia, tunc non potuit ab huius modi rebus fieri hæc determinatio.

Dices, licet ab æterno non fuerint res ſupradictæ quo ad exiſtentiam, erant tamen quo ad futurationem. Sed Contra adhoc vt cauſa actu determinat, vel debet eſſe actu exiſtens, vel ſaltem, vt volunt Thomiſtæ debet imediatè antea extitiſſet ergò non ſufficit, quod locus fuerit ab æterno futurus, adhoc vt actu determinaret indiuiduationem effectus. addo, quod vel ille locus fuit & ille determinatus quo ad Indiuiduum, vel non; ſi non nec poterat alios effectus determinare; ſi ſic, ergò ſicut ipſe fuit independenter ab alio loco indiuiduatus à Deo, cur non etiam alij effectus.

Arguunt primò. Actum amoris potius hunc, quam illum determinari à Deo, præiudicat humanæ libertati,

 ergò

ergò Deus non est ille, qui determinat indiuiduationem actus liberi. Antecedens ostendunt quia sicut homo debet esse liber ad amandum, & non amandum ita debet esse liber ad eliciendum actum hunc, vel illum.

Respondeo, libertatem Humanam cōsistere in hoc, quod positis requisitis possit operari, vel non operari, non verò quod ex suppositione, quod operetur, operetur potius actu A., quàm B. imò cum, libertas à cognitione dependeat, si non cognoscitur quinam sit actus B., & quinam sit Actus A., nec poterit dari libertas circa potius hunc actum, quam illum.

Instabis. est in mea potestate facere potius actum intensum, quam remissum, ergò est in mea potestate facere potius hunc actum, numero, quam illum, cum actus intensi, & remissi non distinguantur nisi numero. Sed Contra actus intensus, & remissus distinguuntur plusquam numero, cum distinguantur gradualiter, certè enim magis distinguitur amor vt sex ab

amore

amore vt duo, quam ab alio amore vt duo.

Arguunt secundò. causa in Genere non indiget determinari, nec causa in specie, ergò nec causa in numero. probant Consequentiam, quia ita se habet numerus ad numerum, sicuti species ad speciem.

Responsio communis est, quia species, & genus sunt quid determinatum, at non sic causa in numero, quæ continet sub se plures effectus numero, & per consequens indiget determinari potius ad hunc numero effectum, quam ad illum. Sed quia hæc responsio non subsistit in causis æquiuocis, quæ pariter sunt indifferentes ad hunc, vel ad illum effectum in genere, & in specie, vt patet in Igne, sole,& similibus; ideò.

Respondeo, determinationem proximam ad hunc potius effectum in genere, & in specie, quam ad illum benè posse refundi in dispositiones, quia certè dispositio sufficiens ad calorem, non erit sufficiens ad frigus.

Arguunt tertiò. Causa ex natura sua est determinata ad aliquid producendum; sed non potest producere aliquid in specie, cum non possit produci effectus vt sic, ergò est determinata ad producendum aliquem effectum in numero.

Respondeo, causam ex natura sua esse determinatam ad aliquid particulare producendum, at non potius hoc, quam illud particulare; & vt vitemus æquiuocationes; causa est determinata ad producendum Indiuiduum, sed non hoc potius, quam illud, nec per hoc est determinata ad Indiuiduum vt sic, quia debet producere Indiuiduum tale, sed spectat, potius eligere hoc tale, quam illud tale, ad primam causam.

Possent Arguere quartò. ratio specifica identificatur cum Indiuiduatione numerica, ergò si Deus determinat ad Indiuiduationem numericam determinat etiam ad rationem specificam, vel si non determinat ad rationem specificam, nequè ad Indiuiduationem

tionem numericam.

Respondeo, rationem specificam talificatam determinari à Deo, & sic quando determinat Ignem A., non solum determinat Indiuiduationem, sed etiam alia prædicata essentialia, semper tamen vt talificata per Indiuiduationem.

DIFFICVLTAS XXXIV.

Cur Deus non sit causa peccati.

CONclusio. Deum non esse causam positiuam peccati de fide; est; magnus tamen labor est in inuestigando, cur Deus non sit causa peccati. prima pars probatione non indiget, cum sit ab Ecclesia definita contra nonullos hæreticos. secunda pars probabitur adducendo rationes, quas solemus afferre.

Prima ratio est quia Deus non influit nisi in ens, seù in positiuum, cum enim influxus Dei positiuus sit, non debet tendere nisi in positiuum, cum

autem peccatum sit quid negatiuum, ideò &c. Sed hæc ratio duplici premitur difficultate in primis enim supponit tamquam certum id, quod apud Theologos est in acri quæstione, an scilicet peccatum consistit in negatiuo, vel in positiuo. Secundò quia vel Homo influit positiuè in illud peccatum, vel tantum permisiuè, si primum ergò actio positiua potest terminare ad negatiuum, quod est contra id, quod supponitur; si secundum ergò vterque nempè Deus, & Homo eodem modo ad peccatum concurrunt, sicque eodem modo sunt causa peccati, quod est absurdum.

Dices, Homo influit positiuè in illam entitatem, ad quam deindè sequitur illa negatio peccaminosa. Sed Contra. Homo dicitur causa peccati etiam si positiuè influat tantum in entitatem, ergò etiam velint, nolint Auctores huius rationis debebunt dicere, quod licet Deus positiuè influat tantum in illam entitatem, adhuc non probatur, quod non sit causa peccati.

Secun-

Secunda ratio est quia. Deus dum esset causa peccati denominaretur peccator, iniquus, Iniustus. Sed hæc ratio pariter infirma est; quia peccatum non denominat nisi subiectum, in quo est, & etiamsi Deus esset causa nostri peccati, adhuc nostrum peccatum non reciperetur in Deum, & sicuti, licet Deus sit causa effectus finiti, non per hoc denominatur finitus; ita etiam si foret causa mali, non per hoc diceretur malus, iniustus &c. ex vi paritatis.

Tertia ratio est, quia non potest, quis esse causa peccati, nisi habeat prohibitionem, cum autem Deus nullum superiorem agnoscat, ideò non potest esse causa peccati. Sed hoc fundamentum est minus validum, quam alia; nam ad summum probat, Deum non posse esse causa sui peccati, cum nullam habeat prohibitionem, at non probat, Deum non esse causam nostri peccati, cum nos subdamur prohibitioni. addo, quod in sententia illorum, qui dicunt, multa esse mala, etiam

etiam præcisa extrinseca prohibitione, hoc argumentum non facit ad rem.

Quarta ratio, quam reprobatis alijs affert Ariaga; est quia Deus dat concursum in actu primò indifferentem ad bonum, vel ad malum, cum Animo tamen, quod potius inseruiat ad bonum, quam ad malum, & hic concursus indifferens determinatur à voluntate, illud autem, quod de se est indifferens, & ab alio determinatur, non est propriè causa illius. Sed Contra. in primis supponitur id, quod est in quęstione, imò quod est minus probabile. deindè arguo sic, in sententia prædeterminantium licet Homo ex se indifferens prędeterminetur à Deo, attamen Homo est propriè causa peccati, ergò licet iste concursus indifferens determinetur à voluntate, humana non per hoc benè probatur, hunc concursum fore veram, & propriam causam peccati.

Eo vlterius ad medullam; & inuenio, quod licet iste concursus in actu

primò

primò sit indifferens, tamen vt determinatus à voluntate non est amplius talis, per consequens, vt determinatus, non amplius habebit indifferentiam pro effugio.

Maneat ergo firmum, Deum non esse causam peccati saltem positiuam, at in via vix posse assignari rationem, cur talis non sit, diceremus tamen, tutius esse recurrere ad diuinũ decretũ, cum omnia, quæ fiunt in tempore, fuerint sic decreta ab æterno.

DIFFICVLTAS XXXV.

In quo consistat ratio formalis finis?

CONclusio. ratio formalis, & adequata finis consistit partim in bonitate, partim in malitia. est Conclusio, quæ benè explicata nullam pati potest difficultatem.

Explicatur. illa est ratio formalis finis, quæ trahit, seù mouet voluntatem, sed voluntas mouetur duplici modo, & prosequendo bonam, & fugiendo

giendo à malo, ergò ratio formalis adequata consistit in eo, quod mouet hoc duplici modo, nempè in bonitate, quam prosequimur, & in malitia, quam fugimus. Confirmo. ratio adequata Principij non consistit tantum in perfecto Creatore, sed etiam in imperfecta Creatura, ergo etiam ratio adequata finis non solum consistit in ratione boni, sed etiam in ratione mali, quod cum imperfecto conuertitur.

Arguunt primò. cognitio finis est ratio formalis finis, ergò ratio formalis finis non consistit in bonitate, & malitia simul; Antecedens sic probant, quia in tantum finis mouet in quantum existit in Intellectu, ergò cognitio finis est ratio formalis finis. Respondent aliqui, quod existentia in Intellectu esset ratio formalis, si identificaretur cum fine, quod cum non sit verum, ideo &c. verum hæc doctrina potest facilè confutari in eo, quod reuelatio est ratio formalis actus fidei, & tamen non identificatur cum actu fidei; Re-

Respondeo Nego Anteeedens ad id, quod additur dico, cognitionem se habere veluti conditionem aplicantem obiectum potentiæ, non verò tamquam rationem formalem, certè si quis interrogetur *quarè hoc facis* non respondebit *facio hoc propter cognitionem boni, vel mali*, sed dicet *facio hoc ad obtinendum illud bonum, vel ad fugiendum illud malum*.

Arguunt secundò. melior cognitio melius finalizat, ergò cognitio finalizat, ita enim se habet simpliciter ad simpliciter, sicut melius ad melius; Antecedens probant ex bonitate diuina, quæ in tantum mouet melius in Patria, quia ibi melius cognoscitur, cæterum in se eadem est. tuta conscientia posset concedi Antecedens, & negari Consequentia, quia habitus dat melius operari, non tamen dat operari simpliciter, ita à pari &c.

Respondeo tamen cognitionem in Patria melius finalizare, tamquam conditionem, eo modo, quo aproximatio melior se habet solumodo vt con-

conditio ad meliorem, & faciliorem combustionem.

Instabis. si cognitio esset mera conditio posset à Deo supleri, cum quælibet conditis sit dispensabilis, ergò, cum cognitio finis non sit suplebilis a Deo; nequè enim Deus potest facere, quod aliquid non cognitum finalizet, ergò. Sed Contra. aliqua est conditio, quæ vocatur *sine qua non*, & hanc neque Deus potest dispensare, talis probabiliter est cognitio finis in ordine ad finalizandum.

Arguunt tertiò. Illa est ratio formalis, quæ est ratio prior, sed bonitas, & malitia non sunt ratio prior; & probatur minor quia prius est cognoscere bonitatem, & malitiam, quam, quod talis bonitas, vel malitia moueant voluntatem.

Respondeo in primis, quod hoc argumentum probat etiam, quod aproximatio sit ratio formalis combustionis, quia prius est, quod Ignis aproximetur, quam quod comburat. deinde

inde directè dico, quod ratio formalis non dessumitur à prioritate temporis, sed à prioritate nobilitatis.

Instabis. cognitio, cum sit actus vitalis, est prior bonitate etiam prioritate nobilitatis, ergò adhuc viget argumentum. Sed Contra actus vitalis est perfectior bonitate secundum quid, idest secundum vtilitatem, non verò secundum rationem mouendi, de qua curat finis.

Arguunt tertiò. ratio mali non potest finalizare, ergò ratio formalis finis non consistit etiam in malitia. A. Patet, quia malum tantum abest, quod moueat voluntatem, quod potius retrahat. Confirmant. quia nemo intendens malum operatur, ergò &c.

Respondeo, rationem mali non posse finalizare prosequendo, benè tamen fugiendo; ad illud axioma pariter respondetur, neminem intendentem malum operari prosecutiuè; vel dicimus, quod nos quoque non asserimus, aliquem operari inten-

dendo malum, sed potius intendendo fugere à malo.

Instabis. quandò quis fugit malum, ideò fugit, quia fugere malum est bonum, ergò semper ratio formalis finis consistit tota in bonitate. Sed Contra. datur verus actus odij formaliter distinctus ab actu amoris, sed si omnis actus fugæ esset propter bonum, nullus daretur actus odij formaliter distinctus ab actu amoris, quia semper actus fugæ haberet pro obiecto motiuo bonum; ergò.

DIFFICVLTAS XXXVI.

An Indifferens vt indifferens posset finalizare, & quid de dubio.

COnclusio prima. indifferens vt tale est nequit finalizare.

Probatur; quia ratio formalis finis consistit ex supradictis partim in malitia, partim in bonitate, sed indifferens vt indifferens nec habet de malitia, nec de bonitate, ergò non potest finali-

finalizare. Confirmo causa prima; quæ nec haberet de bono, nec de malo non esset vera causa prima, ergò causa vltima nempè finis, quæ non habeat nec de bono, nec de malo non esset vera causa vltima, sic non esset verus finis.

Conclusio secunda. Dubium potest finalizare.

Probatur in primis ex experientia; qua videmus plurimos peccare, quia sequuntur opinionem dubiam, vt passim constat apud moralistas. Secundò quia potest quis se exponere periculo peccando, sed tunc ideò peccat quia sequitur dubium illud peccandi, ergò dubium potest finalizare. tertiò tandem, quia dubium non est euidenter malum, ergo potest aliqualiter mouere vt bonum, sicque finalizare.

Arguunt primò contra primam. Indifferens vt Indifferens est obiectum voluntatis, ergò indifferens vt Indifferens potest finalizare Antecedens sic demonstrant. obiectum voluntatis, ad hoc vt ipsa sit libera, de-

bet

bet esse indifferens, ergò indifferens vt indifferens est obiectum voluntatis: profecto si hoc argumentum valeret, actum esset de Deo, qui est obiectum non indifferens, sed positiuè bonum.

Respondeo. Nego Antecedens, ad id, quod additur dico, quod libertas voluntatis consistit in hoc, quod proposito bono, & malo possit, vel vnum, vel aliud eligere, vel etiam neutrum, cessando ab omni actu, non verò consistit in eo, quod obiectum, quod eligitur debeat esse indifferens, cum hoc sit impossibile.

Instabis. Indifferens vt indifferens est obiectum Intellectus, cum sit ens verum, ergò etiam est obiectum voluntatis; quod sic probatur illud potest amplecti voluntas, quod potest illi proponere Intellectus, sed omnia vera possunt ab Intellectu proponi voluntati, ergò. Sed Contra dato Antecedenti, Nego Consequentiam, ad id, quod additur dico, totum id posse voluntatem amplecti, quod

pro-

proponitur ab Intellectu tamquam bonum, & totum id posse voluntatem fugere, quod proponitur ab Intellectn tamquam malum, cum autem Indifferens vt indifferens tale non sit, ideò &c.

Arguunt secundò. ludus pilæ eligitur a voluntate, licet sit indifferens, ergò quia indifferens vt indifferens potest finalizare. Confirmant. quia exercitium libertatis est aliquod bonum, ergò exercere libertatem circa indifferens erit aliquod bonum, sicque finalizare.

Respondeo, ludum pilæ, & si moraliter indifferentem esse tamen Physicè bonum, cum sit physicè delectabilis ludenti. ad Confirmationem. in primis potest negari suppositum consequentiæ, cum erga indifferens non detur exercitium libertatis, vt supra probaui, vel admisso supposito dicendum est, quod tunc non esset amplius obiectum indifferens, quod finalizaret illud exercitium libertatis, quod est aliquod bonum.

Ar-

Arguunt tertiò. contra secundam. Dubium nec est bonum, nec est malum, ergò dubium nequit finalizare. facilis responsio est, quod dubium nec est malum, nec est bonum certò, bene autem dubiè. sed instant.

Supponamus, quod aliquis amet obiectum dubium, tunc sic. voluntas tunc potius adhæret bonitati, quam malitiæ, ergò tunc non est amplius obiectum dubium, sed potius probabile, cum in dubio non detur potius adhæsio vni parti, quam alteri; Sed Contra aliud est, quod tunc voluntas adhæreat potius rationi bonitatis, quam malitiæ, aliud est, quod adhuc hoc obiectum non proponatur ab Intellectu vt dubium, in quo sensu agitatur præsens difficultas.

DIFFICVLTAS XXXVII.

An definitio motus data ab Aristotele contineat etiam motum Creatiuum.

CONclusio. nulla est ratio, cur a definitione Aristotelica motus ex-

excludatur actio creatiua.

Probatur quia si aliqua est ratio; maximè quia motus definitur ab Aristotele, *quod sit actus entis in potentia, pro vt in potentia*, & ex hoc Aduersarij deducunt, quod cum in actione creatiua non sit potentia, (sumunt enim potentiam pro potentia materiæ) ideò &c. Sed hæc ratio non conuincit, quia Aristoteles, non dicit in *potentia materiæ*, sed præcisè *in potentia* vndè tam commodè potest intelligi de potentia actiua, quam passiua; per consequens potest hæc definitio motus competere tam actioni generatiuæ, quam creatiuæ.

Explicatur melius doctrina hoc exemplo. debet creari ignis. hæc creatio, est actus, quia est operatio, seù causatio, est actus entis, quia est causatio alicuius, quod ens est; est in potentia, quia hoc aliquid continetur in potentia agentis creatiui; tandem est in potentia prout in potentia, quia dum motus est in fieri adhuc tendit ad factum esse, & sic est in potentia, pro-

ut in potentia, quatenus non habet adhuc actum perfectum.

Arguunt primò. in motu debet interuenire mobile, sed in actione creatiua non interuenit mobile, cum non interueniat subiectum, ergò.

Respondeo in primis, quod si pro mobili intelligatur subiectum, hoc non debet interuenire, nisi in motu generatiuo, vel dicas, quod motus productiuus in genere dicit quidem mobile, sed hoc mobile sufficit, quod sit vel subiectum, vel effectus ipse, qui producitur, qui potest vocari mobile, ad differentiam causæ, quæ vocatur motor.

Instabis. mobile est quid distinctum à termino ad quem, sed effectus, est potius terminus ad quem, cum ad ipsum terminet causa, ergò effectus non potest in motu sumi pro mobili. Sed Contra. effectus sub diuersa formalitate potest esse & mobile, & terminus ad quem, eo modo, quo Deus sub diuerso titulo est & principium, & finis. & sic effectus pro vt est id, quod pro-

ducitur est mobile, pro vt est finis, & scopus causæ, est etiam terminus, ad quem.

Arguunt secundò. motus debet dicere tamquam terminum à quo priuationem, sed in motu creatiuo nequit assignari priuatio, ergò Probatur minor. quia priuatio est carentia in subiecto, & in motu creatiuo non interuenit subiectum.

Respondeo motum creatiuum dicere carentiam tamquam terminum à quo, quod autem hæc carentia sit priuatio, seù in subiecto hoc impertinenter se habet; vel si hæc responsio non placet dicas, quod carentia formæ in subiecto merè receptiuo non impedit creationem, vt constat in Anima rationali.

Arguunt tertiò. illa particula *in potentia* sonat aliquam potentialitatem, sed potentialitas nulli alteri magis conuenit, quam materiæ, ergò in motu debet interuenire materia, sicque non competit illa definitio motui creatiuo.

Respondeo, illam particulam *In potentia* sonare aliquam potentialitatem, vel actiuam, vel passiuam, eo modo, quo quando dicitur hæc propositio. *Creaturæ continentur in potentia Dei*. Significatur potentialitas actiua.

Quæres hic, an motus distinguatur ab actione, & passione. meo videri hæc est quæstio de nomine. nihilominus.

Respondeo, motum actiuè sumptum non distingui ab actione, motum passiue sumptum non distingui à passione; ratio est quia ea omnia inuenimus in motu, quæ inuenimus in actione, & passione nam in motu inuenimus motorem, mobile, terminum à quo, & terminum ad quem, & hæc omnia, si bene considerabimus, inueniemus in actione, & passione.

Dices. in actione producitur aliquis effectus, non sic in motu locali, ergò motus distinguitur ab actione. Sed Contra in primis hic est sermo de motu productiuo, vt est generatio,

neratio, alteratio &c. deindè, ſi benè conſiderabimus etiam in motu locali aliquid producitur, vel ſecundum eſſe complexum, iuxta complexiſtas, vel ſecundum eſſe ſimplex; ſeù vbi diſtinctum, iuxta modaliſtas.

DIFFICVLTAS XXXVIII.

An ſucceſſio ſit de eſsentia motus localis.

CONcluſio prima. ſucceſſio non eſt de eſſentia motus localis in genere.

Probatur quia motus localis in genere præſcindit ab eo, quod fiat in ſpatio diuiſibili, vel indiuiſibili, & ab eo, quod fiat à mobili tardo, & veloci, ergo motus localis in genere præſcindit ab eo, quod fiat inſtantaneè, vel ſucceſſiuè, ſicque de ſuo formali conceptu non dicit ſucceſſionem. Confirmo. quia actio poteſt fieri tum ab agente ſubſtantiali, tum ab accidentali, non dicit de ſua eſſentia eſſe

ſubſtantialis, ergò etiam, quia motus poteſt fieri tum ab agente, ſeù motore tardo, vel veloci, ideò neceſse non eſt, quod fiat ſucceſſiuè.

Concluſio ſecunda. neque motus factus per ſpatium diuiſibile dicit de ſua eſſentia ſucceſſionem temporis. dico ſucceſſionem temporis, quia quò ad ſucceſſionem ſitus certum eſt, eſſe de eſſentia motus ſumpti in ordine ad ſpatium diuiſibile.

Probatur. motus per ſpatium diuiſibile poteſt fieri à mobile valde veloci, ergò poterit fieri in inſtanti, ſicque non dicit de ſua eſſentia ſucceſſionem. Confirmo. quidquid recipitur per modum recipientis recipitur, ergò quidquid percurritur per modum percurrentis percurritur, ſicque, ſi percurrens erit valdè velox, ſpatium illud percurretur in inſtanti.

Dices. illud ſpatium etiam ſi materialiter diuiſibile, tamen reſpectu illius mobilis velocis ſumeretur tamquam quid indiuiſibile, ſicque nunquam verificaretur, quod illud mobi-

le

le velox percurreretur illud ſpatium diuiſibile in inſtanti. Sed Contra ex verbis Aduerſariorum habeo intentum, vndè ſic arguo. Si rugibile ſaltem reſpectu alicuius poſſet ſumi vt irrugibile non haberet de ſua eſſentia potentiam rugitiuam, ergo etiam ſi ſpatium diuiſibile reſpectu alicuius poteſt ſumi vt indiuiſibile, non habet de ſua eſſentia ſucceſſiuam diuiſibilitatem.

Arguunt primò. contra primam: motus eſt eſſentialiter ens ſucceſſiuum, ergò debet de ſua eſſentia dicere ſucceſſionem; ſicut enim ens permanens dicit de ſua eſſentia permanentiam, ita à pari dicendum de ſucceſſiuo.

Reſpondeo, motum dici ens ſucceſſiuum, quia ordinariè loquendo fit à mobili, quod non eſt velociſſimum, & fit per ſpatium diuiſibile, quis enim curat ocupare tantum vnicum punctum, aut vnicam partem minimam ſpatij?

Inſtabis. tempus, quod eſt eſſentia-

liter successiuum, tale est respectu cuiuscumque, ergò pari modo est dicendum de motu. Sed contra eodem modo, quo est successiuum tempus est etiam successiuus motus, & sicuti tempus est successiuum, quia vna pars temporis est post aliam, ita vna pars motus erit post aliam, at difficultas stat in probando, quod motus debeat habere partes quò ad tempus.

Arguunt secundò. Motus est in genere qualitatis, ergò debet fieri successiuè per hoc enim distinguitur qualitas à substantia, quod illa fiat successiuè, hæc autem instantaneè, certè si hoc argumentum valeret, etiam motus factus per spatium indiuisibile, deberet fieri successiuè, cum iste motus sit pariter in genere, seù prædicamento qualitatis.

Respondeo Concedo Antecedens. Nego Consequentiam. substantia enim per alia capita distinguitur ab Accidente non per illud, quod asseritur in obiectione, & certè calor vt vnum est in genere qualitatis, nec tamen

men ſucceſſiuè producitur, vel ſi velis, etiam hoc caput eſſe diſtinctiuum ſubſtantiæ ab accidente, dicas, quod ſubſtantia nec fit, nec poteſt fieri ſucceſſiuè, accidens autem licet aliquando non fiat, poteſt tamen fieri ſucceſſiuè.

Arguunt tertiò contra ſecundam, ſpatium diuiſibile dicit partes ſucceſſiuas quo ad ſitum, ergo debet etiam mobile ipſas occupare ſucceſſiuè, quia mobile debet ſe accomodare ſpatio per quod mouetur. quam benè poſſet retorqueri hoc argumentum ſic. mobile debet ſe accomodare ſpatio, per quod tranſit, ſed partes ſpatij ſunt ſimul ſimultate temporis, ergò etiam mobile debet ipſas occupare ſimul ſimultate temporis.

Reſpondeo Conceſſo Antecedenti, Nego Conſequentiam; quia mobile debet ſe accomodare ſpatio in hoc ſenſu, quatenus ipſum debeat totum occupare, non verò in eo ſenſu, qui intenditur ab Aduerſarijs. addo, quod ſi mobile debet ſe accomodare ſpatio,

cum spatium illud sumatur tamquam quid indiuisibile, ideò debet à mobili percurri indiuisibiliter.

Arguunt quartò. si de essentia motus in spatio diuisibili non esset successio, sequeretur, quod in eodem instanti mobile esset in prima, & in vltima parte spatij, sed hoc est absurdum, quia idem esset distans, & proximum respectu eiusdem termini, ergò.

Respondeo, quod non implicet idem secundum diuersos respectus esse distans, & proximum, vt patet in pluribus exemplis.

Instabis. si mobile sit aliquod indiuisibile, tunc non poterit secundum diuersos respectus esse distans, & esse proximum, ergò adhuc viget argumentum. Sed Contra in primis in mea sententia infra examinanda de compositione continui nunquam deueniemus ad purum indiuisibile. secundò etiam in sententia Serbelloni, licet aliquod sit realiter indiuisibile, habet tamen semper virtuales respectus.

Ar-

Arguunt quintò. motus iſte eſſet materialis tunc ſic arguitur. motus materialis dicit quantitatem, ſed quæ dicunt quantitatem dicunt vnam partem eſse extra aliam, ergò etiam dicunt vnam partem eſſe poſt aliam, ſicque dicunt ſucceſſionem.

Reſpondeo in primis, quod motus eſt in genere qualitatis, qualitas autem quantitate non afficitur, cum quantitas afficiat ſubſtantiam. deinde dico, quod motus indiuiſibilis eſset tantum vna pars motus; per conſequens non poſset vna pars eſse poſt aliam, cum in vnica tantum parte non detur prius, & poſt, ſaltem quo ad tempus.

DIFFICVLTAS XXXIX.

An poſſit dari motus ab extremo ad extremum ſine tranſitu per medium.

COncluſio. in ſententia modaliſtarum facilè eſt concipere motum ab

ab extremo ad extremum sine transitu per medium.

Probatur quia in hac sententia motus localis nihil aliud est, quam deperditio prioris vbicationis, & aquisitio nouæ, sed optimè potest deperdi prior vbicatio A., & aquiri vbicatio C. absque transitu per spatium B. ergò Confirmo. potest quis transire à loco, & ad locum B. etiam si non perueniat ad C. ergo etiam potest quis transire a loco A. ad locum C. absque transitu per B. tanta enim est diuersitas inter primum, & tertium locum, quam inter tertium, & secundum, res hæc sensibiliter difficilis est, aliqualiter tamen comprehensibilis à ratione.

Probatur aliter. quia quæ sunt de essentia non possunt tolli, sed hoc, quod est transire per medium potest tolli ergò minor sic ostenditur. sint v. g. duo puncta spatij, ad hoc vt mobile transeat ab vno puncto ad aliud, non solum non debet transire per medium, sed neque potest, cum duo puncta non admittant medium ergo.

Dices

Dices primò. si illa duo puncta non admittant medium reale admittunt tamen media virtualia, nempè latera diuersa. Sed Contra. illa latera cum sint in extremis componunt, & ipsa extrema, secus etiam in vno puncto possemus admittere transitum per medium, cum in vno puncto sint diuersa latera. non sunt ergò illa latera rigorosè media sed extrema.

Dices secundò. quod si in tali casu non datur transitus per medium est omninò per accidens, cum non detur inibi medium, eo modo aliquando nequit dari confessio propter defficientiā materiæ. Sed Cōtra iam supradixi, quod ea quæ sunt essentialiter, & necessariò talia, nec per accidens possunt mutari; Exemplum de confessione non est ad rem, quia si defficiat materia nullo modo datur Confessio, at si defficiat spatium medium adhuc datur motus. vt supra probatum est, vndè paritas non valet.

Arguunt primò. in motu locali ducitur quædam linea de termino à quo

ad terminum ad quem, sed linea non potest peruenire ad vltimam partem, nisi prius transeat per partes medias, ergò.

Respondeo in motu locali continuato per omnes partes spatij duci lineam, non sic in motu locali non transeunte per omnes partes spatij, sed tantum deserente terminum à quo, & aquirente terminum ad quem.

Instabis. debet distingui motus localis à simplici conuersione, sed si pręcisè fieret per desertionem termini à quo, & aquisitione termini ad quem non distingueretur à simplici conuersione vt patet, ergò. Sed Contra simplex conuersio vt talis non importat nouum vbi, cum in eodem loco, vbi destruitur terminus à quo possit incipere terminus ad quem, at in motu locali necessariò importatur nouum vbi; & ecce quomodò, adhuc data nostra doctrina, distinguitur motus localis à simplici conuersione.

Arguunt secundò. non potest dari actio in distans, nisi prius agatur per

medium

medium, ergò neque poterit dari motus in distans, nisi prius fiat transitus per medium. certè, qui negant posse dari actionem in distans, premuntur hac paritate, ego autem.

Respondeo, in primis per me non implicare actionem in distans, ex quo fit, etiam non implicare motum localem in distans. addo, quod aliqualis posset adhuc assignari disparitas inter actionem, & motum, eo quia actio fit per hoc quod diffundatur virtus actiuitatis, quæ se habet per modum sphæræ, vndè debet hæc sphera occupare partes intermedias, quod, cum non verificetur de motu, ideò.

Instabis, etiam virtus motiua habet suam spheram, extra quam non mouetur, ergò quo ad hoc non est benè assignata disparitas. Sed Contra. doctrinam, quam donaui conseruo. verum est, quod virtus motiua habet suam determinatam spheram, at hæc sphera non diffunditur, seù extra mittitur sicuti in actione; & hæc omnia probabiliter; quia fortasse alibi aliud sentiam,

Ar-

Arguunt tertiò. non potest aliquis durare ab A. ad C. nisi prius duret per instans B. ergò nequè potest quis moueri à termino A. ad terminum C. nisi prius moueatur per B.

Respondeo, disparitatem esse quia durare est permanere in esse, si autem aliquis non duraret per instans B., vel saltem non esset, non posset dici in instanti C. durare, quia non supponitur instans præcedens, in quo fuerit, sicuti requiritur ad durationem.

Instabis. non nè supponitur extitisse in instanti A. Sed Contra. durare est permanere in esse, non quomodocumque, sed in esse quod habuit res immediatè antea; cęterum si in hoc instanti res destruatur, & in sequenti iterum producatur, non dicitur durare, sed potius reproduci.



DIF-

DIFFICVLTAS XL.

An detur quies in puncto reflexionis.

COnclusio prima. nulla est implicantia, quod detur quies in puncto reflexionis. consentit, quo ad hoc Serbellonus, licet ille admittat, de facto dari semper. sensus Conclusionis est, quod, quando aliquid proicitur, antequam denuo, vel retroflectat, vel descendat, possit per vnicum instans quiescere, vel etiam per plura instantia.

Probatur quia non implicat, quod causa, etiam si necessaria, desistat ab operatione, vt patet in Igne, ergo non implicat, quod lapis v. g. aliquandò desistat ab omni motu tum sursum, tum deorsum, sicque quiescat. Confirmo. quia potest dari aliquod impedimentum detineus lapidem ne descendat, puta resistentia aeris, detractio diuini concursus &c.

Dices.

Dices. resistentia aeris vincitur in primò instanti à lapidis grauitate, vel si in primò instanti non vincitur, nec vincitur in alijs, cum in alijs instantibus lapis non sit validior. Sed Contra plura vincuntur in secundò, vel tertiò instanti, quæ non superantur. in primò, sicuti potest miles occidi in secundò, vel tertiò ictu, licet non occidatur in primò.

Conclusio secunda. licet nulla sit implicantia, quod detur quies in puncto reflexionis, nulla tamen de hoc datur necessitas.

Probatur, quia nulla est necessitas, quod aer impediat motum reflexum post finem directi. cum enim aer sit modicæ resistentiæ, ordinariò vincitur in primò instanti, & ex alia parte cum grauia tendant naturaliter deorsum, ideò non est illis imponenda hæc necessitas quiescendi in aere. Confirmo nulla est necessitas, quod post motum calefactiuum, non sequatur motus frigefactiuus, ergo à pari nulla est necessitas, quod post motum

sursum

ſurſum non ſequatur ſtatim motus deorſum, tam enim opponuntur motus ſurſum, & deorſum, quam motus calefactiuus, & frigefactiuus.

Arguunt primò contra primam. datur implicantia, quod motus oppoſiti ſint continui, ſed motus ſurſum non minus opponitur cum quiete; quam cum motu deorſum, ergo datur implicantia, quod poſt motum ſurſum detur quies, hoc argumentum probat etiam, quod poſt motum ſurſum ſequi non poſſit motus deorſum.

Reſpondeo, quietem poſſe immediatè ſequi ad motum, vt patet in lapide, qui peruenit ad centrum, ad id, quod dicitur de rebus oppoſitis dico, quod ſicuti ad calorem poteſt immediatè ſuccedere frigus ita à pari &c. imò ad non eſſe vltimum rei, ſequitur primum eſſe eiuſdem, licet eſſe, & non eſſe opponantur.

Inſtabis. ex Ariſtotele quæ ſunt continua ſunt vnum, ad differentiam illorum, quæ ſunt tantum contigua, ſed motus, & quies non poſſunt face-

re

re quid vnum, ergo. Sed Contra Aristoteles loquitur de continuitate compositionis quatenus duæ partes simbolæ componant quid vnum, non de continuitate temporis; certum enim est, quod licet formæ cadauericæ Hominis succedat quo ad tempus, forma verminis, non per hoc forma cadauerica Hominis facit vnum quid cum forma Verminis, nisi velimus admittere absurda.

Arguunt secundò. statim ac pila est allisa parieti debet retroflectere, ergo implicat, dari quietem in puncto reflexionis. Antecedens probant ex eo, quod statim ac pila est allisa parieti curat redire ad pristinum statum, in quo partes compressæ non erant, sed non potest redire ad pristinum statum, nisi retroflectat, ergò debet statim retroflectere.

Respondeo posse dari casum, in quo pila per vnicum instans detineatur, quando scilicet non posset in primò instanti superare resistentiam aeris, & hoc loquendo de possibili.

Ar-

Arguunt tertiò contra ſecundam: Supponamus pilam, quæ allidítur parieti eſſe ignitam; tunc ſic arguitur: pila ignita, ad hoc vt calefaciat parietem, debet per aliqua inſtantia quieſcere quia, cum calefactio ſit alteratio, & hæc fiat ſucceſſiuè, ideò &c.

Reſpondeo duplici modo, vel dicendo, quod non eſt certum, quod alteratio fiat ſucceſsiuè, cum ab agente valido poſsit fieri in inſtanti. vel dicendo, quod pila etiam ſi non quieſcat poſsit ſucceſsiuè calefacere, nam incipit calefacere quando eſt proxima parieti, calefacit quandò tangit parietem, & calefacit quando primò recedit à pariete.

Arguunt quartò demus pilam luſoriam, quæ allidatur parieti. hæc pila non poteſt recedere niſi ceſſet tota compreſsio partium, ſed tota compreſsio partium non poteſt ceſſare in inſtanti, ergo debet pila per aliqua inſtantia quieſcere.

Reſpondeo, quod licet pila quie-

ſcat

scat quò ad primam partem, quæ tangit parietem non tamen quiescit quo ad se totam, quod est illud, quod est in quæstione. addo, quod non constat, hanc cessationem partium non posse fieri instantaneè, cum maxime pila, vtpotè in statu violento, magno conatu quærat redire ad pristinum statum.

Arguunt vltimò à paritate de Aqua, quæ vt constat in impulsione nauis, e littere resistit suæ diuisioni, & per consequens, cum etiam aer diligat suam Vnitatem, & continuationem partium, ideò etiam ipsa aliqualiter resistit, & sic debet mobile per aliquod instans quiescere.

Respondeo, disparitatem esse quia Aqua, est magis crassa, & solida, propterea magis apta resistentiæ, quam aer. cæterum hoc argumentum facilius soluitur dicendo, quod si propter resistentiam aeris aliquandò mobile detineatur in aere, & quiescat; hoc est ab estrinseco, & per accidens, per consequens nostram Con-

clusionem

clusionem non ferit, quæ quidem non dari necessitatem huius quietis asserit, at non negat, hanc quietem posse dari.

DIFFICVLTAS XLI.

Cur motus naturalis sit in fine velocior.

COnclusio. omnes rationes, quæ solent afferri possunt probabiliter sustineri. sic factus sum omnium amicus.

Prima ratio quæ affertur cur motus naturalis sit in fine velocior est quia grauitas in fine magis impellit; & hæc probabilis est, quia sicut grauitas est illa, quæ impellit deorsum, ita grauitas magis aplicata magis impellit deorsum, cum autem per antecedentem motum magis grauitas quodamodo aplicetur, & excitetur, ideò maior velocitas in motu prouenire potest à grauitate, quæ in fine magis impellet.

Neque

Neque dicas primò, quod grauitas in primò instanti producit totum impulsum, quem potest producere, cum sit causa necessaria adeoque si in primò instanti non causat illam maiorem velocitatem, neque causabit in vltimis. *Sed Contra grauitas in primò instanti producit totum impulsum* iuxta *præsentem dispositionem*, cum autem motus sit dispositio ad maiorem velocitatem, ideò dato illo, *producitur* maior velocitas in vltimis *instantibus*.

Dices secundò, quod motus præcedens non existit quando causatur illa maior velocitas, per consequens non potest esse dispositio ad illam. communis responsio, est quod dispositio remota non est necesse, quod sit quando operatur; addo ego, quod, cum in quolibet instanti producatur tantum impulsus vt vnum, ideò sufficit, quod motus existat secundum illam partem correspondentem tali impulsui, non verò secundum partes correspondentes impulsui iam pro-

ducto in antecedentibus instantibus.

Secunda ratio, quæ solet afferri, cur motus sit in fine velocior; est quia propter maiorem vicinitatem ad centrum, ad quod habet simpathiam magis etiam trahitur; quæ ratio suaderi potest ex eo, quod sicuti simpathia ad centrum trahit lapidem, ita simpathia ad centrum magis vicinum, magis trahit; & etiam quia facit natura in rebus inanimatis, id, quod facit cognitio in rebus animatis sicut ergo videmus, quod equus dum est propè domum magis currit, ita à pari lapis dum est propè centrum magis est velox.

Neque dicas primò, quod lapis descendens ab humili loco, & lapis descendens ab altissimo, dum vterque esset æquè vicinus centro, æquali veluitate descenderent, quod est contra experientiam. Sed Contra. non adhuc æquali velocitate descenderent defectu dispositionis Antecedentis, nam ille lapis, qui descenderet ab humili loco non supponeret motum ante-

tecedentem, qui valdè excitat lapidem ad maiorem velocitatem.

Neque dicas. secundò. quod res inanimatæ non cognoscunt hanc maiorem vicinitatem centro. Contra enim. licet res inanimatæ non cognoscant centrum; tamen simpliciter tendunt in centrum, ergo etiam, licet non cognoscant maiorem propinquitatem ad centrum adhuc, possunt maiori impetu ferri in centrum. supplet ergo in his rebus natura, vbi defæcit cognitio.

Tertia ratio, cur motus sit in fine velocior, est quia in fine est minor quantitas spatij superandi, sicut enim calor aliquando extensionem intensione compensat, ita lapis, dum est in fine, & grauitas non potest extendere suam operationem, intendit impulsum, & sic magis velocitat; addo, quod, cum aer aliqualiter resistat descensui lapidis, cum in fine sit minor aer superandus, ideo minor est resistentia, per consequens maior velocitas.

Nec

Nec improbabilis est quarta ratio consistens in eo, quod aer successiuè à tergo lapidis accurrens, magis magisque ipsum impellat; quia scilicet, cum iste aer accurrat ad occupandum spatium relictum ab aere, ne detur vacuum, accurrit aliquo impetu, & per consequens velocitat mobile. nec valet illa solita obiectio, quod scilicet, si daretur motus in vacuo, adhuc in fine esset motus velocior, nam Auctores huius sententiæ respondebunt, quod expectabunt hunc casum, in quo detur vacuum, & facta experientia opinionem mutabunt.

Quæres hic primò. an æquè grauia æquali velocitate descendant.

Respondeo, hanc rem explicandam esse iuxta diuersitatem sententiarum, nam qui tenent, maiorem velocitatem à grauitate prouenire tenentur dicere, quod per se loquendo, æquè grauia æquali velocitate descendant, qui autem tenent, maiorem velocitatem ab alia causa prouenire, debent consequenter, & ipsi Phylosophari.

Quæres secundò. an figura iuuet ad velocitatem. Respondeo affirmatiuè; quia illud iuuat ad velocitandum, quod iuuat ad secandum aerem, sed figura iuuat ad secandum aerem, videmus enim, quod figura, quæ magis vergit in acutum facilius secat, ergo. Piramidalis ergo figura magis velocitabit, quam rotunda, rotunda magis quam quadrata, supposito tamen, quod quadrata non descendat per angulum, & sic de cæteris. Sed istæ sunt augæ ideò transeamus ad alia.

DIFFICVLTAS XLII.

A quonam proueniat motus proiectorum, vbi plura alia Curiosa.

Conclusio. motus proiectorum, prouenit ab impulsa immediatè, & mediatè ab ipso proijciente.

Probatur, quia, quidquid sit, an implicet actio in distans, saltem de facto, & ordinariè non debet ita facilè

lè admitti, ergo motus proiectorum non poteſt immediatè prouenire à proijciente, cum ſaltem in aliquibus inſtantibus poſt primum ſit diſtans; Confirmo à paritate. etiam ſi ignis calefaciat mediante calore, tamen ſufficienter dicitur, quod ignis calefaciat, ergo etiam ſi proijciens proiciat mediante impulſu, tamen ſufficienter dicitur, quod proijciat, ſicque non eſt neceſſe, quod immediatè proijciat, quod eſt illud, quod contendit Concluſio.

Dices. ſaltem pro primò inſtanti impulſus proijciens non eſt diſtans, ergo ſaltem pro tunc immediatè proijciet. Sed Contra in primis denominatio deſſumitur à potiori, vndè, licet in primò inſtanti motor ſit immediatus rei proiectæ quia tamen in omnibus inſtantibus ſequentibus eſt diſtans, ideò &c. deindè etiam in primò inſtanti proijcit mediante impulſu, adeoque etiam tunc poteſt dici, quod ſit cauſa tantum mediata.

Arguunt primò, ad hoc vt impul-

ſus ſit cauſa motus deberet præcedere motum, ſed impulſus non præcedit motum, cum in eodem inſtanti, quo datur impulſus, etiam detur motus, ergo.

Reſpondeo, impulſum præcedere motum præcedentia *naturæ, non temporis, vt toties decantatum eſt*, & vtrumque *eſſe in eodem inſtanti temporis, non naturæ*.

Arguunt ſecundò. iſte impulſus à nemine conſeruatur, ergo iſte impulſus non eſt cauſa motus violenti, Antecedens ſic oſtendunt, quia iſte impulſus non poteſt conſeruari à proijciente, cum iſte in ſecundò inſtanti ſit diſtans,

Reſpondeo, hunc impulſum effectiuè conſeruari à Deo, qui eſt cauſa conſeruatiua omnium rerum, ſubiectiuè autem à mobili ipſo, in quo recipitur.

Inſtabis: mobile non conſeruat ſuum contrarium, cum nemo ſibi noceat, ſed impulſus ſurſum eſt contrarius lapidi, ergò nequit ſubiectiuè

con-

conseruari à lapide. Sed Contra. licet Impulsus sursum sit contrarius lapidi, adhuc conseruantur subiectiuè in lapide, eo modo, quo accidentia disponentia ad corruptionem sunt contraria subiecto, & tamen recipiuntur, & conseruantur in ipso subiecto.

Quæres hic primò. an virtus mouens sursum distinguatur specie à virtute mouente deorsum, vel à latere. Respondeo negatiue quia aliter sequeretur, quod idem brachium esset in diuersa speciè, cum idem brachium moueat sursum, deorsum, & à latere; neque dicas, quod si fiant obuij lapides proiecti sursum, & lapides proiecti deorsum, se ad inuicem destruunt, per consequens virtus mouens sursum, distinguitur, imò opponitur virtuti mouenti deorsum; quia in primis etiam vnus Homo occidit alium, nec tamen speciè distinguitur ab alio. deinde ad summum illi duo lapides se se impediunt, nè vnus, & alter eat vlterius, non verò positiuè destruunt virtutem motiuam. N 4 Quæ-

scat quò ad primam partem, quæ tangit parietem non tamen quiescit quo ad se totam, quod est illud, quod est in quæstione. addo, quod non constat, hanc cessationem partium non posse fieri instantaneè, cum maxime pila, vtpotè in statu violento, magno conatu quærat redire ad pristinum statum.

Arguunt vltimò à paritate de Aqua, quæ vt constat in impulsione nauis, e littere resistit suæ diuisioni, & per consequens, cum etiam aer diligat suam Vnitatem, & continuationem partium, ideò etiam ipsa aliqualiter resistit, & sic debet mobile per aliquod instans quiescere.

Respondeo, disparitatem esse quia Aqua, est magis crassa, & solida, propterea magis apta resistentiæ, quam aer. cæterum hoc argumentum facilius soluitur dicendo, quod si propter resistentiam aeris aliquandò mobile detineatur in aere, & quiescat; hoc est ab estrinseco, & per accidens, per consequens nostram Con-

clusionem

clusionem non ferit, quæ quidem non dari necessitatem huius quietis asserit, at non negat, hanc quietem posse dari.

DIFFICVLTAS XLI.

Cur motus naturalis sit in fine velocior.

COnclusio. omnes rationes, quæ solent afferri possunt probabiliter sustineri. sic factus sum omnium amicus.

Prima ratio quæ affertur cur motus naturalis sit in fine velocior est quia grauitas in fine magis impellit; & hæc probabilis est, quia sicut grauitas est illa, quæ impellit deorsum, ita grauitas magis aplicata magis impellit deorsum, cum autem per antecedentem motum magis grauitas quodamodo aplicetur, & excitetur, idcò maior velocitas in motu prouenire potest à grauitate, quæ in fine magis impellet.

Neque dicas primò, quod grauitas in primò instanti producit totum impulsum, quem potest producere, cum sit causa necessaria adeoque si in primò instanti non causat illam maiorem velocitatem, neque causabit in vltimis. Sed Contra grauitas in primò instanti producit totum impulsum iuxta præsentem dispositionem, cum autem motus sit dispositio ad maiorem velocitatem, ideò dato illo, producitur maior velocitas in vltimis instantibus.

Dices secundò, quod motus præcedens non existit quando causatur illa maior velocitas, per consequens non potest esse dispositio ad illam. communis responsio, est quod dispositio remota non est necesse, quod sit quando operatur; addo ego, quod, cum in quolibet instanti producatur tantum impulsus vt vnum, ideò sufficit, quod motus existat secundum illam partem correspondentem tali impulsui, non verò secundum partes correspondentes impulsui iam pro-

ducto in antecedentibus instantibus.

Secunda ratio, quæ solet afferri, cur motus sit in fine velocior; est quia propter maiorem vicinitatem ad centrum, ad quod habet simpathiam magis etiam trahitur; quæ ratio suaderi potest ex eo, quod sicuti simpathia ad centrum trahit lapidem, ita simpathia ad centrum magis vicinum magis trahit; & etiam quia facit natura in rebus inanimatis, id, quod facit cognitio in rebus animatis sicut ergo videmus, quod equus dum est propè domum magis currit, ita à pari lapis dum est propè centrum magis est velox.

Neque dicas primò, quod lapis descendens ab humili loco, & lapis descendens ab altissimo, dum vterque esset æquè vicinus centro, æquali veluitate descenderent; quod est contra experientiam. Sed Contra. non adhuc æquali velocitate descenderent defectu dispositionis Antecedentis, nam ille lapis, qui descenderet ab humili loco non supponeret motum an-

tecedentem, qui valdè excitat lapidem ad maiorem velocitatem.

Neque dicas. secundò. quod res inanimatæ non cognoscunt hanc maiorem vicinitatem centro. Contra enim. licet res inanimatæ non cognoscant centrum; tamen simpliciter tendunt in centrum, ergo etiam, licet non cognoscant maiorem propinguitatem ad centrum adhuc, possunt maiori impetu ferri in centrum. supplet ergo in his rebus natura, vbi defæcit cognitio.

Tertia ratio, cur motus sit in fine velocior, est quia in fine est minor quantitas spatij superandi, sicut enim calor aliquando extensionem intensione compensat, ita lapis, dum est in fine, & grauitas non potest extendere suam operationem, intendit impulsum, & sic magis velocitat; addo, quod, cum aer aliqualiter resistat descensui lapidis, cum in fine sit minor aer superandus, ideo minor est resistentia, per consequens maior velocitas.

Nec

Nec improbabilis eſt quarta ratio conſiſtens in eo, quod aer ſucceſsiuè à tergo lapidis accurrens, magis magiſque ipſum impellat; quia ſcilicet, cum iſte aer accurrat ad occupandum ſpatium relictum ab aere, ne detur vacuum, accurrit aliquo impetu, & per conſequens velocitat mobile. nec valet illa ſolita obiectio, quod ſcilicet, ſi daretur motus in vacuo, adhuc in fine eſſet motus velocior, nam Auctores huius ſententiæ reſpondebunt, quod expectabunt hunc caſum, in quo detur vacuum, & facta experientia opinionem mutabunt.

Quæres hic primò. an æquè grauia æquali velocitate deſcendant.

Reſpondeo, hanc rem explicandam eſſe iuxta diuerſitatem ſententiarum, nam qui tenent, maiorem velocitatem à grauitate prouenire tenentur dicere, quod per ſe loquendo, æquè grauia æquali velocitate deſcendant, qui autem tenent, maiorem velocitatem ab alia cauſa prouenire, debent conſequenter, & ipſi Phyloſophari.

Quæres secundò. an figura iuuet ad velocitatem. Respondeo affirmatiuè; quia illud iuuat ad velocitandum, quod iuuat ad secandum aerem, sed figura iuuat ad secandum aerem, videmus enim, quod figura, quæ magis vergit in acutum facilius secat, ergo. Piramidalis ergo figura magis velocitabit, quam rotunda, rotunda magis quam quadrata, supposito tamen, quod quadrata non descendat per angulum, & sic de cæteris. Sed istæ sunt augæ ideò transeamus ad alia.

DIFFICVLTAS XLII.

A quonam proueniat motus proiectorum, vbi plura alia Curiosa.

COnclusio. motus proiectorum, prouenit ab impulsa immediatè, & mediatè ab ipso proijciente.

Probatur, quia, quidquid sit, an implicet actio in distans, saltem de facto, & ordinariè non debet ita faci-

lè admitti, ergo motus proiectorum non poteſt immediatè prouenire à proijciente, cum ſaltem in aliquibus inſtantibus poſt primum ſit diſtans; Confirmo à paritate. etiam ſi ignis calefaciat mediante calore, tamen ſufficienter dicitur, quod ignis calefaciat, ergo etiam ſi proijciens proiciat mediante impulſu, tamen ſufficienter dicitur, quod proijciat, ſicque non eſt neceſſe, quod immediatè proijciat, quod eſt illud, quod contendit Concluſio.

Dices. ſaltem pro primò inſtanti impulſus proijciens non eſt diſtans, ergo ſaltem pro tunc immediatè proijciet. Sed Contra in primis denominatio deſſumitur à potiori, vndè, licet in primò inſtanti motor ſit immediatus rei proiectæ quia tamen in omnibus inſtantibus ſequentibus eſt diſtans, ideò &c. deindè etiam in primò inſtanti proijcit mediante impulſu, adeoque etiam tunc poteſt dici, quod ſit cauſa tantùm mediata.

Arguunt primò, ad hoc vt impul-

ſus ſit cauſa motus deberet præcedere motum, ſed impulſus non præcedit motum, cum in eodem inſtanti, quo datur impulſus, etiam detur motus, ergo.

Reſpondeo, impulſum præcedere motum præcedentia naturæ, non temporis, vt toties decantatum eſt, & vtrumque eſſe in eodem inſtanti temporis, non naturæ.

Arguunt ſecundò. iſte impulſus à nemine conſeruatur, ergo iſte impulſus non eſt cauſa motus violenti, Antecedens ſic oſtendunt, quia iſte impulſus non poteſt conſeruari à proijciente, cum iſte in ſecundò inſtanti ſit diſtans.

Reſpondeo, hunc impulſum effectiuè conſeruari à Deo, qui eſt cauſa conſeruatiua omnium rerum, ſubiectiuè autem á mobili ipſo, in quo recipitur.

Inſtabis: mobile non conſeruat ſuum contrarium, cum nemo ſibi noceat, ſed impulſus ſurſum eſt contrarius lapidi, ergò nequit ſubiectiuè

con-

conſeruari à lapide. Sed Contra. licet Impulſus ſurſum ſit contrarius lapidi, adhuc conſeruantur ſubiectiuè in lapide, eo modo, quo accidentia diſponentia ad corruptionem ſunt contraria ſubiecto, & tamen recipiuntur, & conſeruantur in ipſo ſubiecto.

Quæres hic primò. an virtus mouens ſurſum diſtinguatur ſpecie à virtute mouente deorſum, vel à latere. Reſpondeo negatiue quia aliter ſequeretur, quod idem brachium eſſet in diuerſa speciè, cum idem brachium moueat ſurſum, deorſum, & à latere; neque dicas, quod ſi fiant obuij lapides proiecti ſurſum, & lapides proiecti deorſum, ſe ad inuicem deſtruunt, per conſequens virtus mouens ſurſum, diſtinguitur, imò opponitur virtuti mouenti deorſum; quia in primis etiam vnus Homo occidit alium, nec tamen ſpeciè diſtinguitur ab alio. deinde ad ſummum illi duo lapides ſe ſe impediunt, nè vnus, & alter eat vlterius, non verò poſitiuè deſtruunt virtutem motiuam. N 4 Quæ-

Quæres secundò. quomodo destruatur virtus impressa aduerte, plures dari modos desitionis, vel per introductionem contrarij, vel per cessationem causæ conseruatiuæ, vel per hoc, quod paulatim res elanguescat; Exemplum primi habes in calore, secundi in luce, tertij in sono, & odore. hoc supposito.

Respondeo, virtutem impressam desinere tertiò modo, idest per hoc, quod paulatim elanguescat; quia nec destruitur per introductionem contrarij, cum, ex dictis supra, virtus mouens sursum non solum non sit contraria, sed nec distinguatur specie à virtute mouente deorsum, nec destruitur per cessationem causæ conseruatiuæ, quia lapis motus sursum post illum motum adhuc durat in esse, ergo cessat tertiò modo.



DIF-

DIFFICVLTAS XLIII.

Assignantur specificatiua motus.

COnclusio prima. motor non specificat motum.

Probatur primò. Deus licet sit primus motor, non tamen specificat actiones Creaturæ secus omnes actiones Creaturæ essent diuinæ, ergo nec motor Creatus specificat motum; si enim esset de ratione motus in genere specificari à motore, etiam motus factus à Deo deberet à Deo specificari.

Dices. Deus non specificat, quia est aliquid increatum, & hoc non potest specificare aliquod Creatum. Sed Contra. ratio Creati impertinenter se habet, ad hoc, quod motor specificet motum, si enim semel concedatur, causam primam non esse de ratione motus ab ipsa facti, ita à pari, cum ratio Creati nihil aliud addat nisi rationem essendi ab alio, non verò rationem specificandi aliud.

Probatur secundò. Aliquid extrinsecum rei non potest specificare rem, at motor non est nisi principium extrinsecum rei, cum sit causa efficiens ergo. Confirmo, quia difficilis assignabitur disparitas, cur agens non sit specificatiuum actionis, & tamen motor sit specificatiuus motus, cum vtrumque reducatur ad genus causæ efficientis.

Conclusio secunda. terminus à quo, mobile, & terminus ad quem sunt specificatiua motus. consentiunt plures.

Probatur. motus est transitus, sed sine tribus supradictis nequit intelligi transitus, ergo tria supradicta sunt specificatiua motus; Minor sic ostenditur, quia transitus dicit id, à quo res transit. ecce terminum à quo; dicit id, quod transit. ecce mobile, dicit id, ad quod transit. ecce terminum ad quem. Confirmo à paritate corporis in fieri, quod dicit terminum a quo, mobile, & terminum ad quem pro principijs intrinsecis.

Di-

Dices. actio in fieri non dicit de sua necessitate terminum ad quem, quia terminus ad quem est forma, & corpus in fieri potest saluari sine materia, & forma, vt vidimus in difficultate prima de Principijs Corporis. Sed Contra mea Conclusio dicit, quod motus dicat pro suo specificatiuo terminum ad quem, quod deinde hic terminus ad quem sit forma, nec nè, hoc impertinenter se habet. quando igitur vna substantia transibit de non esse vnito ad esse vnitum cum alia substantia, habebit talem substantiam pro termino ad quem, licèt talis substantia non sit forma.

Arguunt primò contra primam. implicat concipere motum, nisi concipiatur vt motus ab aliquo, ergo nisi concipiatur motor sicque motor specificat motum; Antecedens sic ostendunt, quia implicat concipere motum, nisi concipiatur Creatura, ergo nisi motus ab alio sicque à motore. profectò hoc argumentum probat, Deum specificare Creaturam, cum

hæc ſit à Deo motore.

Respondeo, quidem non poſſe concipi motum niſi ſit à motore, at motorem venire de extrinſeco, & obliquo, vel addere potes, quod hoc, quod eſt eſſe ab alio eſt prædicatum genericum cuiuſcumque Creaturæ, per conſequens nequit ſpecificare motum, cum prædicatum ſpecificum nequeat eſſe genericum.

Inſtabis, licet terminus ad quem ſit prædicatum genericum competens cuicumque motui, attamen terminus ad quem ſpecificat motum, ergo à pari de prædicato Creaturæ. Sed Contra. diſparitas manifeſta conſiſtit in eo, quod prædicatum Creaturæ competit, & cuicumque motui, & cuilibet alteri enti Creato, & per conſequens nequit ſpecificare motum ab alio ente creato; at terminus ad quem non conuenit niſi cuicumque motui, & per conſequens poteſt ſpecificare motum ab alia re, quæ non ſit motus; & ſi ſumatur terminus ad quem talis, ſpecificat vnum motum ab alio. Ar-

Arguunt secundo. Agens licet extrinsecum specificat terminum, ergo licet motor sit extrinsecus specificat motum; Antecedens sic ostendunt, quia Ignis productus à solo Deo, distinguitur ab Igne producto a Creatura tantum per diuersa agentia. quam benè hæc ratio probat, quod Ignis, qui de facto datur sit in duplici specie, cum proueniat à duplici agente, nempè à Deo, & à Creatura.

Respondeo, negando suppositum; quia Ignis productus à solo Deo, & Ignis productus a Creatura non distinguuntur speciè.

Arguunt tertiò contra secundam: mobile est subiectum commune, ergò nequit specificare motum. Antecedens patet quia nomine mobilis venit materia, quæ, vt patet, est subiectum commune, & indifferens.

Respondeo, mobile in genere, & vt sic esse subiectum commune, & ideò hoc modo sumptum potest quidem specificare motum vt sic a non motu, non verò vnum motum ab

alio,

alio, at mobile tale taliter dispositum, & in via ad talem terminum ad quem, non est subiectum commune, & ideò hoc modo sumptum potest &c.

Arguunt quartò. magis est impertinens terminus à quo ad motum, quam sit ipse motor, ergo si motor non specificat motum, neque terminus a quo; Antecedens sic ostendunt. terminus a quo est priuatio sed magis est impertinens priuatio in ordine ad motum, quam motor, cum prima sit negatiua in ordine ad positiuum, & secundus sit positiuus in ordine ad aliud positiuum, ergò.

Respondeo, hoc argumentum probare, quod magis pertineat ad Angelum lapis, qui est positiuus, quam priuatio deitatis, quæ est negatiua; deinde directè, dico, rationem positiui, & negatiui impertinenter se habere ad rationem specificationis cum ratio positiui, & negatiui sit generica, & per consequens specificare non possit.

Arguunt quintò. motus debet esse

actus entis in potentia, pro vt in potentia, sed, si diceret pro specificatiuo terminum ad quem, non posset dici actus in potentia, pro vt in potentia, quia non esset amplius in via, sed potius in termino; ergò.

Respondeo, motum esse in via in hoc sensu, quatenus non dicit formam in facto esse, non verò quatenus non dicat formam saltem in fieri, vndè possidet terminum ad quem primò, licet non secundò.

Instabis; implicat rem esse in via, & in termino etiam primò, ergo nulla responsio. Sed Contra. in eo sensu, in quo mobile est in via non est in termino, & quia mobile dum est in motu est in via ad factum esse non in fieri, ideò non est in termino facti esse, sed in termino fieri.



DIF.

DIFFICVLTAS XLIV.

An implicet infinitum.

CONclusio prima. Infinitum Cathegoremathicum ex genere suo non implicat; imò datur aliquod infinitum Cathegorematicum.

Probatur. quia Infinitum Cathegoremathicum est illud, quod est omne actu, ad distinctionem Infiniti Sincategorematici, quod est partim actu, partim potentia, sed de facto omnia attributa Dei sunt infinita tota simul actu, nec illis aliquid intrinsecè addi potest, ergo non solum non implicat ex genere suo infinitum, sed de facto datur aliquod Infinitum cathegorematicum.

Dices Omnipotentia Dei ita producit hodiè, vt possit etiam producere cras, ergò attributa Dei non sunt infinita tota simul, sicque nec cathegorematica. Sed Contra. aliud est, quod terminus Omnipotentiæ non sit

totus ſimul, aliud eſt, quod ipſa Omnipotentia non ſit tota ſimul, primum verum eſt, ſecundum falſum.

Concluſio ſecunda neque implicat in Creatis infinitum Cathegorematicum, eſt Contra Spinulam, & alios plures.

Probatur. titulus Creaturæ non infert ſecum repugnantiam Infiniti, ergò, ſi non implicat Infinitum in genere, nec implicat Infinitum in Creatis, Antecedens ſic oſtenditur; quia titulus Creaturæ non infert ſecum niſi, quod res ſit ab alio, ergo titulus Creaturæ. non infert ſecum repugnantiam Infiniti. Confirmo a paritate. quia a balietas non infert ſecum niſi eſse ab alio, ideò non infert ſecum repugnantiam ſpiritualitatis, ergo quia Creatura non infert ſecum niſi eſse ab alio, non infert ſecum repugnantiam Infinitatis. omitto illud aliud argumentum commune, quod ſcilicet Infinitum nec implicet ex parte cauſæ, nec ex parte ſui ipſius; cum iam notum ſit lippis, & tonſoribus.

Dices,

Dices. ratio Increati facit, quod Deus sit Infinitus, ergo e contra ratio Creati faciet, quod Creatura sit finita, sicut enim Ideo Deus est Infinitus, quia cum sit a se, non se limitat cum nemo sibi noceat, ita cum Creatura sit ab alio limitabitur ab alio, cum alter alteri possit nocere. Sed Contra. ratio Increati ex genere suo, & formaliter non dicit, nisi negationem dependentiæ, adeoque ex genere suo, & formaliter præscindit a finito, & ab Infinito, & si per impossibile Deus non esset Infinitus, adhuc esset ens a se.

Arguunt primò contra secundam. Implicat quantitas sine figura, ergò implicat quantitas infinita, quia figura est illa, quæ terminat, & quodamodo finit quantitatem. Confirmant, quia Infinitum non esset in determinata specie, cum non haberet vltimum prædicatum.

Responsio communis ad obiectionem, est, quod, cum figura sit proprietas quantitatis finitæ non infinitæ,

tæ, ideò implicet quantitas finita, non sic infinita sine figura. alias duas responsiones nunc suggero. in primis, quod figura radicalis est proprietas quantitatis, non sic actualis, vndè, licet quantitas Infinita non haberet figuram actualem, haberet tamen radicalem, idest exigentiam ad ipsam; secundò dicendo, quod Infinitum potest haberè figuram, sic non implicat columna infinita; ad id, quod additur, quod figura terminat, est propositio ambigua, nam terminat, idest stàt in superficie, non vero terminat, idest reddit quantitatem finitam.

Ad Confirmationem dico, latere æquiuocationem, nam si pro vltimo Intelligatur id quod habet finem, in hoc sensu Infinitum non habet vltimum; si autem pro vltimò prædicato intelligitur prædicatum distinctiuum, & constitutiuum, vt est rationalitas in Homine, & in hoc sensu, Homo infinitus adhuc haberet vltimum prædicatum, quia adhuc esset rationalis.

Arguunt secundò. Detrahat Deus aliquam partem spatij Infiniti, vel adhuc remanet Infinitum, vel non; si primum contra, quia Infinitum non desinit esse tale per detractionem cuiuscumque finiti. si primum, ergo illud spatium non erat Infinitum, quia Infinitum est illud, quo maius dari non potest, & si detrahatur, potest dari Infinitum maius ipso.

Respondeo, illud spatium fore adhuc Infinitum, ad id, quod additur dico posse vno infinito dari aliud maius materialiter, non formaliter. potest dari maius materialiter vt patet in infinitate manuum respectu infinitatis Hominum; non sic formaliter: quia in hoc, quod est carere fine (& hæc est formalitas Infiniti) vnum Infinitum non superat aliud. simili doctrina solues etiam illud Argumentum, quod contendit, dato vno Infinito non posse a Deo produci aliud maius, & hoc derogaret eius Omnipotentiæ.

Arguunt tertiò. detur columna Infinita

finita

finitæ longitudinis tunc ſic arguitur; tollatur baſis huius columnæ, vel columna deſcendet vel non, ſi primum ergo aliquod ſpatium relinqueret, ſicque infinita non eſſet, ſi non, ergo negatur corpori graui deſcenſus, quod eſt abſurdum.

Reſpondet Vrtadus, hanc columnam non eſſe deſcenſuram, quia cum ſit Infinita non admittit terminum à quo, & ad quem ſui deſcenſus, ſed quia difficilè eſt concipere columnam in aere ſuſtentatam, & ex alia parte aliud eſt, quod ipſa non habeat terminos, aliud eſt quod in ſpatio imaginario, vbi eſt, non ſit locus, qui ſe habeat vt id, a quo, & vt id, ad quod, ideò audiamus Serbellonum.

Reſpondet ipſe, hanc Columnam fore deſcenſuram ſecundum partes, & partes, non verò ſecundum ſe totum, ſed quia impercæptibile eſt, quod vna pars continuata cum alia non deſcendat collectiuè cum ipſa ideò ineamus aliam viam.

Reſpondeo, hanc columnam fore

deſcen-

descensuram secundum se totam, ad id, quod additur de spatio relicto dico, quod cum pars detracta infinito Infinitum non destruat, ideo nec pars spatij relicta destruit rationem infiniti. nec facit casum doctrina de termino a quo, & ad quem, quia sicuti non implicat, quod Omnipotentia infinita Dei habeat id, a quo prouenit nempè Asseitatem, & id, ad quod terminat nempè Creaturas; ita a pari &c.

Arguunt quartò. non sunt possibilia infinita binaria, ergo non est possibile Infinitum saltem numero. Antecedens sic ostendunt, quia implicat, quod tot sint binaria quot Vnitates, sed si darentur infinita binaria tot essent Vnitates, quot binaria, quia tam illæ, quam ista haberent Infinitatem, ergo.

Respondeo, hoc Argumentum esse simile illi, quod solet fieri de Infinitis Hominibus, & Infinitis oculis; directè tamen dico, in dato casu de Infinitis binarijs plures fore Vnitates, quam

quam binaria saltem in modo, si non in re, quia in re tam sunt bis tria, quam sint sex.

Instabis. dematur ab his binarijs vna vnitas tunc destruitur Infinitum binariorum, ergo prius illa binaria non erant infinita, quia infinitum per dettractionem finiti non destruitur. Sed Contra. adhuc ablata Vnitate, non destrueretur Infinitum binariorum, quia sicut ablato vno binario non destrueretur hoc Infinitum, ita multo minus &c.

Instabis secundò. saltem illa Vnitas, cui fuit detracta alia foret sine binario? quid tum. an nè per hoc tollitur Infinitas Binariorum? certe per hoc, quod in numero vigesimo aureorum sit vnus nummus Argenteus, non per hoc destruitur talis numerus vigesimus.

Arguunt quintò. producat Deus Infinitatem annullorum, simul cum Infinitate Hominum, proijciat quilibet ex his Hominibus proprium annulum, deinde iterum essumat. tunc

sic

sic arguitur; vel totus hic aceruus exhaurietur, vel non, si primum est contra suppositionem, qua supponitur, quod quilibet Homo reassumat annulum suum; si secundum, ergò hic aceruus non est infinitus, quia infinitum exhauriri non potest.

Respondeo in primis, quod potest negari suppositum; quia sicuti dicunt Aduersarij, quod iste aceruus annullorum in reassumptione nequeat exhauriri, ita neque poterit exhauriri in proiectione, *cum non videatur maior ratio de vno, ac de alio*. secundò dico, *quod Infinitum* licet non possit *exhauriri* a finito, potest tamen ab *Infinito*, quod sit vel æquale, vel maius extensiuè, eo modo, quo Filius in diuinis exhaurit omnem Infinitatem absolutam Patris, cum illi Pater communicet omnia, excepta Paternitate.

Arguunt sextò. dentur Infiniti lapides nigri, & albi alternatim dispositi; tollat Deus lapides nigros; tunc sic discurritur, vel isti lapides Albi relicti possunt fieri contigui, vel non; si

non,

non, ergo daretur vacuum; si sic ergò ab illa parte, qua mouerentur possct prefiniri terminus aliquis, sicque non essent Infiniti.

Respondet Serbellonus, non posse lapides albos relictos fieri contiguos, cum enim in re infinita non detur terminus a quo, & terminus ad quem, ideò &c. aliter.

Respondeo, hos lapides posse fieri contiguos, ad id, quod additur de præfinitione termini, dico, quod sicuti non inuenitur, nec datur vltima pars quæ moueretur, ita nec inuenietur, nec dabitur terminus, qui possit præfiniri vltimæ parti. Sed quia de infinito paucissima capimus, ideò plura non disputemus.

DIFFICVLTAS XLV.

An implicet Creatura maxima, & quid sentiendum de minima.

Conclusio prima. Creatura maxima non derogat diuinæ Omnipo-

nipotentiæ, imò ipsam illustrat, propterea potest admitti. in re est Aureoli Durandi, & aliorum.

Probatur primò. quia terminus correspondens virtuti maximæ non derogat diuinæ Omnipotentiæ, imò facit, ipsam elucescere, sed Creatura maxima esset terminus correspondens virtuti maximæ, ergo non solum non derogat sed &c. Confirmo possibilitas termini substantialis non solum non derogat, sed magis facit elucescere virtutem substantialem, quę est in Deo, ergo possibilitas Creaturæ maximæ non solum non derogat, sed magis facit elucescere virtutem maximam, quæ est in Deo.

Dices contra Confirmationem, disparitatem esse, quia data qualibet Creatura substantiali potest dari alia maior, at data Creatura maxima, non posset dari alia maior. Sed Contra (attende quæso amice Lector) non derogatur virtuti substantiali Dei, etiam si in linea substantiæ, quà substantia est, non possit dari maior

Crea-

Creatura, quam alia ſubſtantialis; ergò non derogatur virtuti maximæ Dei, ſi non poſſit dari vna Creatura maior, quam alia. certè enim in linea ſubſtantiæ vna Creatura non eſt maior alia, & ſi eſt maior, eſt maior in alia linea, per conſequens virtus ſubſtantialis Dei, qua talis eſt, non poteſt aliam Creaturam maiorem in ſua linea producere, & tamen etiam ipſa debet eſſe tantæ perfectionis, ac ſit virtus maxima, cum omnia in Deo ſint vnum.

Probatur ſecundò. data Creatura maxima non derogatur diuinæ Omnipotentiæ, niſi quia non poſſet dari alia maior, ſed manifeſtè oſtenditur, quod hoc modo non derogatur ergo. Minorem ſic probo. quod Deus nequeat facere impoſſibilia, hoc non derogat ipſi, cum hoc ſit veriſſimum de facto, ſed quod data Creatura maxima detur alia maior hoc eſt impoſſibile, & implicans in terminis, ergo non derogat Omnipotentiæ diuinæ, quod, data maxima nequeat facere

aliam maiorem. Confirmo. non derogatur fæcunditati Patris æterni per hoc, quod producat Filium maximum, quo maior dari non poteſt, ergo nec derogatur diuinæ Omnipotentiæ per hoc, quod producat Creaturam maximam, qua maior dari non poſſit.

Dices contra probationem. verum eſt, quod ſuppoſita Creatura maxima nulla alia poteſt dari maior, at per hoc negatur Creatum maxima, nè veniamus ad caſum, in quo nulla Creatura maior poſſit à Deo fieri. breuiter. admiſſo ſuppoſito totum admittitur, at difficultas eſt in probando ſuppoſito. Sed Contra. ideò negatur ab Aduerſarijs Creatura maxima, quia, hac admiſſa, derogaretur Omnipotentiæ diuinæ, qui ergo probat, quod ipſa admiſſa non derogetur diuinæ Omnipotentiæ, mihi videtur, quod impugnet directè fundamentum Aduerſariorum. cæterum ſi negetur ſuppoſitum, iam interclusa eſt quælibet via diſputandi de hac quæſtione, cum

totum

totum punctum quæstionis consistat in quærendo, an, admissa Creatura maxima, derogetur Omnipotentiæ.

Conclusio secunda. non implicat Creatura minima.

Probant aliqui ex eo, quod, cum contrariorum sit eadem disciplina, ideò si non implicat maxima, nec minima implicabit. non fido huic probationi, in primis quia maximum, & minimum non opponuntur contrariè, sed subalternè vt patet in summulis; deindè quia ens rationis, & ens reale opponuntur, nec tamen verificatur, quod, si potest existere a parte rei ens reale, possit etiam existere ens rationis. aliter ergò probatur sic.

Potest dari Creatura, quæ sit primò componens in genere quantitatis sed ista erit minima, vt constabit Inferius ex quæstione de quantitate, ergo potest dari Creatura minima. Confirmo potest dari peccatum minimum ex genere suo, ergò etiam aliud ens minimum ex genere suo, sicque etiam Creatura, Antecedens constat

in peccato veniali, quod est in genere minimum, quod dari possit.

Dices contra Confirmationem. datur vnum peccatum veniale maius alio, ergo peccatum veniale non est minimum. Sed Contra aliud est, quod vnum veniale in specie sit maius alio in specie, aliud est, quod veniale non sit minimum ex genere suo, primum verum est, secundum falsum. habe de hoc exemplum clarissimum. aliud est, quod vnum accidens sit nobilius alio aliud, quod accidens non sit ens minimum ex genere suo, & in genere entis.

Arguunt primò contra primam; data Creatura maxima Omnipotentia Dei esset Chimerica, ergo non debet hæc Creatura maxima admitti. Antecedens sic probatur quia Omnipotentia est omnia posse, & ex alia parte, admissa Creatura maxima, nihil posset, quia vltra maximum nihil datur, ergò Omnipotentia Dei esset Chimerica.

Respondeo in primis retorquendo argu-

argumentum; si negaretur Creatura maxima virtus maxima in Deo esset Chimerica, cum esset virtus productiua nullius termini. deinde directè, dico, quod Omnipotentia est posse omnia possibilia, quia autem impossibile est, quod supra maximum aliquid detur, ideò Omnipotentia non debet posse hoc sicuti Omnipotentia Dei non debet posse suspendere noctem præteritam, quia hoc est impossibile.

Instabis. Omnipotentia Dei est per modum scalæ, semper ascendendo, ergo nunquam poterit deuenire ad casum talem, in quo non possit aliud quid maius producere. Sed Contra. Omnipotentia est per modum scalæ, vsquequò potest dari ascensus, cum autem supra maximum ascensus non detur, ideò.

Arguunt secundò. Inter Deum, & quamlibet Creaturam datur distantia infinita, ergo inter Deum, & quamlibet Creaturam mediabunt aliæ Infinitæ perfectiones, sicque nunquam poterit dari Creatura maxima.

Respondeo, quod licet distantia localis dessumatur a medio, non sic tamen distantia perfectionis, vndè Creaturæ non distant a Deo per id, quod mediat, sed per perfectiones, quæ sunt in Deo, & per Imperfectiones, quæ sunt in ipsis. vel aliter respondeas cum communi, quod istæ perfectiones, quæ sunt inter Creaturam, & Deum essent imparticipabiles a Creatura, in casu, quo daretur Creatura maxima.

Instabis contra hanc vltimam. istæ perfectiones, quæ essent in Deo essent formaliter bonæ, ergo essent formaliter diffusiuæ, sicque essent participabiles. Sed Contra. aliud est, esse bonum ad intra, aliud est esse bonum ad extra. primum est imparticipabile a Creaturis, non sic secundum. cæterum si omnia, quæ sunt bona ad intra, essent participabilia a Creaturis, esset etiam participabilis Asseitas, quia hæc est bona ad intra.

Arguunt tertiò. Creaturæ possibiles sunt Infinitæ Sincathegorematicè

ergo

ergo nunquam poterit Deus peruenire ad illam, quæ sit omnium maxima. hic est Achilles Aduersariorum. sed in primis retorqueo argumentum. Dies æternitatis sunt Infiniti Sincathegorematicè, ergo nunquam Deus deueniet ad totam æternitatem? hoc est absurdum, cum æternitas Dei sit tota simul.

Respondeo ergo, quod in hoc plures falluntur, eo quod putant illud infinitum, quod modo est sincathegorematicum non posse aliquando fieri Cathegorematicum, & per consequens non posse totum existere. falluntur inquam, quia Infinitum Sincathegorematicum est illud, quod est *partim actu partim potentia*, & si est partim potentia, cum quælibet potentia possit reduci ad actum, ideò quodlibet Infinitum Cathegorematicum fuit aliquando, vel totaliter, vel inadequatè sincathegorematicum, ex qua doctrina deducis, quod licet Creaturæ possibiles sint Infinitæ Sincathegorematicè, tamen malè dici-

tur, quod non possint esse omnes simul a parte rei, & per consequens poni etiam maxima.

Quod si nolis, omnes Creaturas possibiles posse simul esse a parte rei quid tum? sufficit, quod ponatur maxima, etiam si non ponantur aliæ minores, eo modo, quo ad hoc vt ponatur Homo, non est necessè ponere omnes Creaturas minores ipso.

Arguunt quartò contra secundam: Creatura minima haberet vnicum tantum gradum perfectionis, sed implicat huiusmodi Creatura, ergò implicat Creatura minima. Minorem probant ex eo, quod, quælibet Creatura habet gradum genericum, & differentialem, ergò implicat Creatura, quæ habeat tantum vnicum gradum.

Respondeo, quod cum gradus Genericus, & differentialis identificentur realiter, ideo non constituunt duos gradus, sed vnicum tantum.

Instabis. licet gradus Genericus, & differentialis realiter identificentur, tamen

tamen distinguuntur virtualiter, ergo saltem virtualiter erunt duo gradus, sicque illa Creatura non esset minima. Sed Contra. duæ virtualitates possunt constituere Creaturam minimam, quando scilicet essent tam modicæ perfectionis, vt aliæ duæ imperfectiores esse non possent.

DIFFICVLTAS XLVI.

Quid sit locus, & an possit idem locus continere duo corpora.

CONclusio prima. locus benè definitur, quod sit superficies prima corporis, seù aeris ambientis immobilis.

Dicitur superficies prima; quia locus, cum sit continens; se habet veluti prima, & extima superficies rei contentæ. dicitur aeris ambientis; quia licet aer propriè non sit locus, quia tamen ordinariè situs ille, in quo ponitur aliquod corpus, prius ad talem positionem repletus est aere, ideo

&c. dicitur tandem immobilis quia, licet aer moueatur, tamen illud spatium pro vt dicit talem situationem, & talem distantiam a partibus fixis mundi immobile est.

Conclusio secunda. saltem miraculosè duo corpora possunt esse in eodem loco. dixi saltem miraculosè; quia, licet per locum intrinsecum, omnia argumenta possunt solui etiam stando in linea naturali; attamen ne videamur particularizare, quò ad hoc ibimus per viam communem.

Probatur hæc conclusio ex eo, quod quantitas reddit quidem de suo effectu formali rem impenetrabilem, idest rem exigitiuam Impenetrationis, non vero rem actu impenetratam, eo modo, quo albedo reddit quidem rem disgregatiuam visu, idest rem exigitiuam disgregationis, non sic actu disgregantem, cum possit dari paries, qui actu a nullo oculo videatur, ergo actu poterunt penetrari duo corpora, sicque esse in eodem loco.

Dices, hæc probatio nimis probat; probat

probat enim, quod ſicuti naturaliter datur aliquis paries, qui actu non diſgreget, ita naturaliter, & ſine miraculo dentur duo corpora penetrata. Sed Contra. in primis hæc inſtantia me non ferit, qui proteſtatus ſum in Concluſione, quod omnia argumenta poſſint ſolui etiam ſtando in linea naturali; deindè directè dico, quod eſt magis extrinſecum actu diſgregare Albedini, cum debeat expectare potentiam viſiuam extrinſecam, at non ſic impenetratio, quæ ſufficit, quod habeat in corpore quantitatem.

Arguunt primò contra ſecundam. Duæ quantitates ſucceſſiuæ nequeunt eſſe in eodem tempore, ergo nec duæ quantitates permanentes poſſunt eſſe in eodem loco. Antecedens patet, quia duæ horæ nequeunt eſſe in eodem tempore.

Reſpondeo cum communi diſparitatem eſſe, quia duæ horæ, vtpotè eſſentialiter ſucceſſiuæ, dicunt vnam partem poſt aliam; ideò nequeunt eſſe ſimul, quod cum non verificetur

de

de rebus permanentibus ideo &c.

Instabis primò. ita se habet permanens ad situm sicuti successiuum ad tempus, ergo, si duæ horæ dicunt successionem quo ad tempus, etiam duo corpora dicunt successionem quo ad situm. Sed Contra. fateor etiam in loco dari successionem situs, at non sic in locato, propterea duæ res locatæ possunt esse in eodem loco.

Instabis secundò. non solum duratio dicit successionem, sed etiam res durans ita, quod eadem res non potest coexistere simul duabus horis, ergò etiam non solum locus, sed etiam res locata dicet successionem. Sed Contra. si duæ horæ possent simul coexistere etiam res durans posset illis simul coexistere, at cum duæ partes spatij stent simul eodem tempore, ideò duo corpora possunt stare in illis eodem tempore, sicque stare in eodem loco.

Arguunt secundò. quia videtur absurdum, quod totum digitum reducatur ad paruitatem vnius indiuisibilis,

&

& quod corpus Gigantis restringatur ad modicitatem digiti.

Respondeo, hoc Argumentum vocare absurdum illud, quod est de fide; cum de fide sit, quod in Eucharistia totum Corpus Christi, non solum reducatur ad paruitatem digiti, sed etiam ad paruitatem cuiuslibet minimæ partis.

Arguere possent tertiò. nequeunt penetrari duo corpora, nisi pariter penetrentur duo loca, sed implicat duo loca penetrari, ergò implicat, penetrari duo corpora. Ma. Patet; quia ad penetrationem corporum, debent penetrari omnia accidentia coæua corporibus. Probatur minor. quia locus definitur superficies immobilis, sed si penetrarentur duo loca, locus non esset amplius immobilis, quia deberet ire ad locum alterius, ergo &c.

Respondeo Negando Maiorem, ad probationem dico, omnia illa accidentia penetrari ad penetrationem corporis, quæ aliundè non inferunt repugnan-

pugnantiam, quod autem duo loca penetrentur non solum est in contrarium ratio attacta in obiectione, sed etiam quia penetratio est quando duo sunt in eodem loco, loca autem non sunt in loco, ideò nec possunt penetrari. certè, si locus esset in loco, procederetur in infinitum.

Arguere possunt quartò. demus corpus humanum, & corpus equinum, quæ sint ambo penetrata; tunc sic arguitur. esset vera hæc propositio *hoc est Homo equus*, sed sic esset Chimera, vt patet, ergò nequit dari penetratio. Probatur sequela maioris. quia sicuti per intimam vnionem factam inter Animam, & corpus valet dicere *hoc est Anima & corpus* ita per intimam penetrationem factam inter Equum &, Hominem posset dari &c.

Respondeo illam propositionem fore Chimericam si importaret identitatem inter Hominem, & Equum, non sic si tantum importet localem simultatem. addo, non esse bonam com-

comparationem inter primam, & secundam propositionem, nam in prima importantur duo tota, in secunda duæ partes.

Quod si velis illam propositionem: *Hoc est Homo equus* esse veram quid tum? in tali casu faciet sensum, quod illud agregatum, in quo est. Homo penetratus cum equo sit Homo equus, de cuius propositionis veritate nemo dubitat.

DIFFICVLTAS XLVII.

An idem corpus possit esse in duplici loco.

CONclusio. supernaturaliter non implicat, quod idem corpus sit in duplici loco circumscriptiuè. dixi circumscriptiuè; quia, quod idem Corpus Christi sit circumscriptiuè in Cælo, & deffinitiuè in Hostia, de fide est.

Probatur primò. quia ex dictis supra, potest miraculosè duplex corpus

esse

esse in eodem loco, ergo etiam idem in duplici, non enim est maior ratio, cur duo possint restringi ad minus spatium, & idem non possit extendi ad maius.

Dices, disparitatem in hoc consistere, quod penetrari, & *restringi* importat imperfectionem, extendi autem perfectionem; Creaturæ autem potest concedi imperfectio facilius, quam perfectio. Sed Contra. in primis si hoc argumentum valeret sequeretur, quod penetratio in Eucharistia esset imperfectio, quod non est dicendum. deinde etiam si penetratio esset imperfectio, & replicatio esset perfectio, tamen non omnis perfectio est deneganda Creaturæ, cum maximè hæc perfectio miraculosa tota refunderetur in Deum, non in Creaturam.

Probatur secundò argumento cõmuni valdè tamen efficaci. non implicat, quod idem sit in duplici loco in vno deffinitiuè in alio circumscriptiuè, vt supra dictum est de corpore

Chri-

Christi, ergo nec implicat, idem esse in duplici loco circumscriptiuè, Consequentia probatur quia quid maius est, quod res sit in duplici loco definitiuè, & circumscriptiuè, quam circumscripriuè tantum, cum præsentia definitiua nobilior sit.

Dices. qui est definitiuè in vno loco, est ac si esset in pluribus locis cum sit totus in toto, & totus in qualibet parte, propterea nil mirum si præsentiæ definitiuę concedatur hoc, quod possit esse in duplici loco. Sed Contra in primis ad summum hæc responsio suadet, quod vna præsentia definitiua possit esse definitiuè in duplici loco non verò, quod idem habeat hoc, quod in vno loco possit esse definitiuè, in alio circumscriptiuè; deindè si haberet hoc præsentia definitiua, quod possit esse in duplici loco, hoc haberet tantum in spatio sibi adequato, vt est corpus respectu Animæ, non sic in spatio sibi non correspondente, secus eadem Anima posset informare duplex corpus.

Ar-

sa; Sed Contra. calor replicatus magis potest calefacere, etiam si non fiat magis intensus, propterea paritas nobis fauet.

Arguunt tertiò. quia quantitas nequit occupare spatium maius se ipsa, sed si posset esse in duplici loco posset occupare spatium maius se ipsa ergo.

Respondeo, quod duplex locus respectu corporis replicati non est spatium maius tali corpore, quia cum corpus replicatum æquiualeat duplici corpori, ideò duplex spatium non est maius ipso.

Arguere possent quartò. replicato corpore deberent replicari etiam loca, ergò nunquam corpus esset in duplici loco, sed in eodem vt replicato, Antecedens sic suadetur; quia magis est connexus locus cum corpore, quam sit connexa Anima cum corpore (quippe ordinario datur corpus mortuum sine Anima, non sic datur corpus sine loco,) ergo, si ad replicationem corporis replicatur etiam Anima, multo magis debet replicari etiam locus. Re-

Respondeo Nego Maiorem quia locus cum ſit immobilis non poteſt poni in alio loco, per conſequens non poteſt replicari. ad paritatem de Anima dico, locum indeterminatum eſse magis connexum cum corpore, quam ſit Anima, non ſic locum determinatum, vndè ordinariè loquendo debebit corpus eſse in aliquo loco, non vero in loco replicato.

Arguere poſsent quintò. demus corpus replicatum Papiæ, & Mediolani, vel poſsunt ſe tangere, vel non ſi primum; ergo non erit idem Corpus, quia idem tangeret ſe ipſum. ſi ſecundum, hoc pariter falſum eſt, quia cum quodlibet ex his corporibus poſſit moueri poteſt fieri alteri contiguum, per conſequens poſsunt ſe ad inuicem tangere.

Reſpondeo, hæc duo corpora poſſe ſe tangere, ad id, quod additur dicendum eſt, quod idem ſub vna præſentia tangeret ſe ipſum ſub alia præſentia, eo modo, quo contingit quaudo Corpus Chriſti in vna Ho-

ſtia

de rebus permanentibus ideo &c.

Instabis primò. ita se habet permanens ad situm sicuti successiuum ad tempus, ergo, si duæ horæ dicunt successionem quo ad tempus, etiam duo corpora dicunt successionem quo ad situm. Sed Contra. fateor etiam in loco dari successionem situs, at non sic in locato, propterea duæ res locatæ possunt esse in eodem loco.

Instabis secundò. non solum duratio dicit successionem, sed etiam res durans ita, quod eadem res non potest coexistere simul duabus horis, ergò etiam non solum locus, sed etiam res locata dicet successionem. Sed Contra. si duæ horæ possent simul coexistere etiam res durans posset illis simul coexistere, at cum duæ partes spatij stent simul eodem tempore, ideò duo corpora possunt stare in illis eodem tempore, sicque stare in eodem loco.

Arguunt secundò. quia videtur absurdum, quod totum digitum reducatur ad paruitatem vnius indiuisibilis,

&

& quod corpus Gigantis restringatur ad modicitatem digiti.

Respondeo, hoc Argumentum vocare absurdum illud, quod est de fide; cum de fide sit, quod in Eucharistia totum Corpus Christi, non solum reducatur ad paruitatem digiti, sed etiam ad paruitatem cuiuslibet minimæ partis.

Arguere possent tertiò. nequeunt penetrari duo corpora, nisi pariter penetrentur duo loca, sed implicat duo loca penetrari, ergò implicat, penetrari duo corpora. Ma. Patet; quia ad penetrationem corporum debent penetrari omnia accidentia coæua corporibus. Probatur minor. quia locus definitur superficies immobilis, sed si penetrarentur duo loca, locus non esset amplius immobilis, quia deberet ire ad locum alterius, ergo &c.

Respondeo Negando Maiorem, ad probationem dico, omnia illa accidentia penetrari ad penetrationem corporis, quæ aliundè non inferunt repugnan-

pugnan-

pugnantiam, quod autem duo loca penetrentur non solum est in contrarium ratio attacta in obiectione, sed etiam quia penetratio est quando duo sunt in eodem loco, loca autem non sunt in loco, ideò nec possunt penetrari. certè, si locus esset in loco, procederetur in infinitum.

Arguere possunt quartò. demus corpus humanum, & corpus equinum, quæ sint ambo penetrata; tunc sic arguitur. esset vera hæc propositio *hoc est Homo equus*, sed sic esset Chimera, vt patet, ergò nequit dari penetratio. Probatur sequela maioris. quia sicuti per intimam vnionem factam inter Animam, & corpus valet dicere *hoc est Anima & corpus* ita per intimam penetrationem factam inter Equum &, Hominem posset dari &c.

Respondeo illam propositionem fore Chimericam si importaret identitatem inter Hominem, & Equum, non sic si tantum importet localem simultatem. addo, non esse bonam com-

comparationem inter primam, & secundam propositionem, nam in prima importantur duo tota, in secunda duæ partes.

Quod si velis illam propositionem: *Hoc est Homo equus* esse veram quid tum? in tali casu faciet sensum, quod illud agregatum, in quo est. Homo penetratus cum equo sit Homo equus, de cuius propositionis veritate nemo dubitat.

DIFFICULTAS XLVII.

An idem corpus possit esse in duplici loco.

Conclusio. supernaturaliter non implicat, quod idem corpus sit in duplici loco circumscriptiuè. dixi circumscriptiuè; quia, quod idem Corpus Christi sit circumscriptiuè in Cælo, & deffinitiuè in Hostia, de fide est.

Probatur primò. quia ex dictis supra, potest miraculosè duplex corpus

esse in eodem loco, ergo etiam idem in duplici, non enim est maior ratio, cur duo possint restringi ad minus spatium, & idem non possit extendi ad maius.

Dices, disparitatem in hoc consistere, quod penetrari, & restringi importat imperfectionem, extendi autem perfectionem; Creaturæ autem potest concedi imperfectio facilius, quam perfectio. Sed Contra. in primis si hoc argumentum valeret sequeretur, quod penetratio in Eucharistia esset imperfectio, quod non est dicendum. deinde etiam si penetratio esset imperfectio, & replicatio esset perfectio, tamen non omnis perfectio est deneganda Creaturæ, cum maximè hæc perfectio miraculosa tota refunderetur in Deum, non in Creaturam.

Probatur secundò argumento cōmuni valdè tamen efficaci. non implicat, quod idem sit in duplici loco in vno deffinitiuè in alio circumscriptiuè, vt supra dictum est de corpore

Chri-

Christi, ergo nec implicat, idem esse in duplici loco circumscriptiuè, Consequentia probatur quia quid maius est, quod res sit in duplici loco definitiuè, & circumscriptiuè, quam circumscripriuè tantum, cum præsentia definitiua nobilior sit.

Dices. qui est definitiuè in vno loco, est ac si esset in pluribus locis cum sit totus in toto, & totus in qualibet parte, propterea nil mirum si præsentiæ definitiuę concedatur hoc, quod possit esse in duplici loco. Sed Contra in primis ad summum hæc responsio suadet, quod vna præsentia definitiua possit esse definitiuè in duplici loco non verò, quod idem habeat hoc, quod in vno loco possit esse definitiuè, in alio circumscriptiuè; deindè si haberet hoc præsentia definitiua, quod possit esse in duplici loco, hoc haberet tantum in spatio sibi adequato, vt est corpus respectu Animæ, non sic in spatio sibi non correspondente, secus eadem Anima posset informare duplex corpus.

Ar-

Arguunt primò. Res, quæ esset Papiæ, & Mediolani esset a se ipsa diuisa, cum enim medient tot entitates inter Papiam, & Mediolanum, ideò diuidunt rem, quæ est Papiæ a re, quæ est Mediolani, sed hoc est manifestum absurdum, ergò.

Respondeo, hoc Argumentum fore soluendum ab omnibus Catholicis; mediant enim maiores entitates inter Cælum, & Hostiam, quam inter Papiam, & Mediolanum. directè dico, quod sicuti, si spatium esset vacuum, adhuc Petrus existens Papiæ, esset diuisus à Paulo existente Mediolani, ita e contra etiam si spatium intermedium sit plenum diuersis entitatibus, non facit, quod res replicata sit diuisa, nam illud, quod quandò non adest non obest, quandò adest non prodest.

Instabis. quia inter præsentiam positam Papiæ, & præsentiam positam Mediolani mediant diuersæ præsentiæ, ideò dicimus, quod istæ præsentiæ distinguantur præsentialiter, ergò

ergò etiam, quia inter entitatem positam Papiæ, & entitatem positam Mediolani mediãt diuersæ entitates, ideo debent esse diuisę entitatiuè. Sed Contra. nego causalem, nam etiam si spatium intermedium esset vacuum, adhuc præsentia lapidis esset diuisa prę sentialiter a præsentia Pauli. imò aliquãdo inter lapidem, & Petrum nihil mediat, & tamen distinguantur nedũ præsentialiter, sed etiam entitatiuè.

Arguunt secundò. quantitas manens eadem non potest fieri magis extensa, sed si corpus posset poni in duplici loco, quantitas maneus eadem fieret magis extensa, ergò non potest &c.

Respondeo negando suppositum, nam quantitas per replicationem non fit magis extensa, sed illa eadem, quæ prius erat in vnico tantum loco, ponitur per reproductionem in alio.

Instabis. non potest calor magis calefacere nisi fiat magis intensus, ergò nec potest quantitas maius spatium occupare, nisi fiat magis extensa;

sa; Sed Contra. calor replicatus magis potest calefacere, etiam si non fiat magis intensus, propterea paritas nobis fauet.

Arguunt tertiò. quia quantitas nequit occupare spatium maius se ipsa, sed si posset esse in duplici loco posset occupare spatium maius se ipsa ergo.

Respondeo, quod duplex locus respectu corporis replicati non est spatium maius tali corpore, quia cum corpus replicatum æquiualeat duplici corpori, ideò duplex spatium non est maius ipso.

Arguere possent quartò. replicato corpore deberent replicari etiam loca, ergò nunquam corpus esset in duplici loco, sed in eodem vt replicato, Antecedens sic suadetur; quia magis est connexus locus cum corpore, quam sit connexa Anima cum corpore (quippe ordinario datur corpus mortuum sine Anima, non sic datur corpus sine loco,) ergo, si ad replicationem corporis replicatur etiam Anima, multo magis debet replicari etiam locus.

Respondeo Nego Maiorem quia locus cum sit immobilis non potest poni in alio loco, per consequens non potest replicari. ad paritatem de Anima dico, locum indeterminatum esse magis connexum cum corpore, quam sit Anima, non sic locum determinatum, vndè ordinariè loquendo debebit corpus esse in aliquo loco, non vero in loco replicato.

Arguere possent quintò. demus corpus replicatum Papiæ, & Mediolani, vel possunt se tangere, vel non si primum; ergo non erit idem Corpus, quia idem tangeret se ipsum. si secundum, hoc pariter falsum est, quia cum quodlibet ex his corporibus possit moueri potest fieri alteri contiguum, per consequens possunt se ad inuicem tangere.

Respondeo, hæc duo corpora posse se tangere, ad id, quod additur dicendum est, quod idem sub vna præsentia tangeret se ipsum sub alia præsentia, eo modo, quo contingit quaudo Corpus Christi in vna Ho-

stia

ſtia tangit ſe ipſum poſitum in alia.

DIFFICVLTAS XLVIII.

De ijs, quæ accidere poſſunt corpori replicato.

CONcluſio. omnia accidentia tum contraria, tum contradictoria poſſunt competere corpori replicato reſpectu diuerſæ præſentiæ, vndè poteſt corpus replicatum in vno loco mori in alio non; in vno loco calefieri, in alio non; in vno loco calefieri, in alio frigefieri; & ſic de cæteris.

Probatur in primis ex ratione communi, quia corpus replicatum eſt æquiualenter duplex, & ſicuti duplex corpus poteſt recipere ſupradicta accidentia, ita a pari &c. deindè alio modo probatur ſic; quia nemo negabit, quod de corpore replicato Papię, & Mediolani non verificetur, quod in vno loco habeat præſentiam A. & in alio non habeat præſentiam A. ergo

go, ſicuti verificantur hæc duo contradictoria, cur non poſsunt verificari alia, & multo magis contraria?

Addo, quod impropriè illa accidentia vocarentur contradictoria, vel contraria, quia contrarietas, vel contradictio eſt reſpectu eiuſdem circumſtantiæ, & ſicuti propoſitiones, dumodo fiant diuerſo tempore, contradictoriæ non ſunt, ita accidentia, dumodo contingant rei in diuerſo loco contradictoria, vel contraria non ſunt. vide ſummulas, & credes.

Arguunt primò. non poteſt res cognoſci hic ab hac Anima, quæ non cognoſcatur etiam inibi, cum enim cognitio ſit ſpiritualis, non dependet a loco, propterea, vel ſit in vno, vel in duplici loco parum intereſt, ergo corpori replicato non poſſunt competere accidentia contradictoria. illi, qui ab hac Concluſione excipiunt actus vitales, facili negotio ſoluunt hoc argumentum, quia tamen auaritia ſordida eſt, ideò.

Reſpondeo, quod ſi loquamur de

cognitione noua, poteſt Papiæ repræſentari Intellectui obiectum, quod non repreſẽtetur Mediolani, & è contra. ſi autem loquamur de cognitione memoratiua rerum præteritarum tunc dico, vel quod veniet occaſio excitandi *ſpeciem Papiæ, quæ fortaſsè non veniet Mediolani*, vel quod ad replicationem Animæ replicantur etiam ſpecies, propterea poteſt in vno loco excitari, in alio non.

Arguunt ſecundò. non poteſt Anima peccare in vno loco, in alio non, ſecus ſequeretur, quod ſi hæc Anima decederet deberet eſſe, & in Paradiſo & in Inferno, quod eſſet ridiculum.

Reſpondeo. retorquendo argumentum, quod fortaſsè ſedabit riſum Aduerſariorum. deferatur ad Inferos Hoſtia conſecrata, vt poſſibile eſt; non nè tunc idem Corpus Chriſti erit, & in Paradiſo, & in Inferno? & ſi idem Corpus poteſt eſſe in hoc duplici loco, quarè non duplex Anima?

Inſtabis. illa Anima in duplici loco nempè in Paradiſo, & in Inferno deberet

beret esse inibi per miraculum, sicque deberent multiplicari miracula, quod est inconueniens. Sed Contra in primis posset dici, quod non esset nouum miraculum, sed primum licet ad alia loca translatum. deinde quid tum? pereat mundus, & fiat iustitia. iustum est scelera punire, virtutes remunerari, ideò non est inconueniens in hoc casu multiplicare miracula.

Arguunt tertiò. non potest quis mori Papiæ, nisi etiam moriatur Mediolani, ergo accidentia contradictoria non possunt competere corpori replicato, Antecedens potest sic probari, quia mori est desinere esse in rerum natura, sed si quis moreretur tantum Papiæ, & non Mediolani non desineret esse in rerum natura, ergo.

Respondeo Negando Antecedens, nam mori secundum omnem præsentiam est desinere esse secundum omnem præsentiam, at mori tantum secundum vnam præsentiam est desinere esse in rerum natura secundum illam tantum.

Instabis primò. mors afficit entitatem, ergò cum entitas sit eadem, non potest in vno loco mori in alio non; Sed Contra. mors afficit entitatem, vel sub illa præsentia, vel sub ista, adeoque eadem entitas poterit quo ad vnam præsentiam, desinere esse in rerum natura, non quo ad aliam.

Instabis secundò. desinere esse in rerum natura, cum sit aliquid negatiuum est malignantis naturæ, ergo totum negat, ergo importat mori in quocumque loco. Sed Contra. desinere esse est malignantis naturæ respectu illius rei, quam afficit, & illam totam afficit, vndè ad summum deducitur, quod, si desinere esse afficiat Corpus Papiæ, nihil Papiæ viuum remaneat.



DIS-

DIFFICVLTAS XLIX.

An implicet corpus nullibi a parte rei.

COnclusio. saltem apparenter potest sustineri, non implicare corpus nullibi. defenditur hæc Conclusio a pluribus Iesuitis, dixi apparenter, quia fateor cor meum, hoc est misterium plusquam arcanum.

Prima apparentia est quia, cum vbicatio in sententia modalistarum modus sit, & res possit esse sine suo modo, vt patet in materia, quæ potest esse sine vnione, ideò corpus poterit esse sine vbicatione, sicque loco. Et quia illis respondetur, quod res potest quidem esse sine modo hoc, vel illo, non sic sine modo aliquo indeterminato; statim reassumunt exemplum de materia, quæ non solum potest stare sine hac, & illa vnione, sed etiam sine vlla vnione.

Secunda apparentia est quia. Locus

cus est in prædicamento accidentis; per consequens, sicuti subiectum potest esse sine accidente, ita corpus potest esse sine loco; & quia respondetur, quod Locus determinatus est in prædicamento accidentis, non sic locus indeterminatus; possunt statim contra respondere, quod sicuti paries non solum potest stare sine hac, vel illa albedine, sed etiam sine vlla albedine, ita a pari corpus, non solum potest stare sine hoc, vel illo loco determinatè sed etiam sine vllo loco, & certè in hoc erit difficilis disparitas.

Tertia apparentia est quia, sicuti res potest stare sine actione, ita etiam potest stare sine loco. nec in hoc valet supra data responsio de tali, & vt sic, quia res non solum stat sine hac, vel illa actione, sed etiam sine vlla actione Ingeniosus quidam dabat hanc disparitatem, quia scilicet locus est coæuus corpori, non sic actio. Sed hæc disparitas in primis potest refelli dicendo, quod locus sit quidem coæuus corpori locato, non verò corpo-

ri

ri præcisè. secundò potest dici, quod licet quantitas sit coæua materiæ, tamen saltem supernaturaliter potest dari materia sine quantitate. hæ sunt apparentiæ positiuæ pro sententia nullibizantium, videamus modò negatiuas, idest responsiones ad obiectiones.

Prima obiectio. est quia vel hoc corpus nullibi est distans, vel indistans e mundo, si primum ergo est in loco remoto, si indistans, ergo est in loco proximo, sicque semper erit in loco. Respondent, hoc corpus fore indistans negatiuè, quatenus non erit in loco remoto, non sic positiuè, quatenus sit in loco proximo.

Instatur, vel Deus. videt inter hoc corpus, & Mundum dari medium, vel non; si primum ergo est in loco remoto positiuè; si secundum, ergo est in loco proximo positiuè. Sed Contrà dicunt, posse esse vtrumque, nec per hoc argui aut distantiam, aut indistantiam positiuam, quia hæc non dessumitur a medio, sed a loco positiuo, in quo res est.

Secunda obiectio est quia, implicat, poni corpus a parte rei nisi ponatur, vbi poni potest, sed dum ponitur vbi poni potest sufficienter est in loco, vt patet in mundo, qui de facto datur, ergo implicat, poni corpus a parte rei, nisi ponatur in loco.

Respondent Negando suppositum in ordine ad ly *Vbi* hoc enim corpus nullibi non haberet *Vbi*.

Instari potest est falsa hæc propositio, *Corpus a parte rei poni potest, vbi poni non potest*, ergo est vera hæc alia illi contradictoria. *corpus à parte rei poni potest, vbi poni potest*. Sed Contra. dicent, vnam esse veram, aliam falsam in ordine ad corpus locatum, non sic in corpore nullibizato, in quo potest negari suppositum vtriusque propositionis, cum in corpore nullibizato hæc particula *Vbi* sit sicut in Infinito hæc particula *finis*.

Tertia obiectio est, quia Deus deberet esse in hoc ente nullibizato per essentiam, per præsentiam, & per potentiam. hoc supposito sic discurritur

ritur ad illud, ad quod se extendit potentia Dei se extendit etiam immensitas, cum attributa Dei identificentur inter se, sed immensitas Dei non potest se extendere nisi ad locum, sicuti Eternitas nisi ad tempus, ergo hoc ens deberet esse necessariò in loco Respondent, quod licet identicè attributa Dei sint idem, non sunt tamen idem terminatiuè, & sic in hoc corpore nullibizato potest inueniri potentia Dei, tamquam in termino suo, licet non inueniatur, tamquam in termino suo immensitas. possent exemplificare doctrinam in actu bono, in quo, licet tamquam in termino suo inueniatur Omnipotentia, non tamen inuenitur in ipso tamquam in termino suo Iustitia punitiua Dei, cum Iustitia Dei non puniat actum bonum.

Addere possent, quod hæc obiectio probat, illud corpus non solum debere esse in loco, sed etiam debere esse locum, quia si in ipso debet esse immensitas debet esse locus, ad quem

extendatur ista immensitas, cum immensitas non extendatur, nisi ad locum.

DIFFICVLTAS L.

An detur spatium imaginarium.

Conclusio. qui negat spatium imaginarium difficilè saluat, quomodo fuerit creatus Mundus. sub his terminis nullius est.

Probatur. quia hoc spatium, in quo fuit creatus mundus antè creationem erat imaginarium, ergò qui negat spatium imaginarium &c. Antecedens sic ostenditur. quia hoc spatium, in quo modo est mundus erat tantum replebile, & non actu replectum, sed huiusmodi est spatium imaginarium, ergo &c. Confirmo; quia Mundus, qui de facto datur positus fuit vbi poni poterat, sed spatium, vbi res poni potest, est spatium imaginarium, ergò &c.

Probo alia via sic, dari hoc spatium

tium imaginarium. præter effectus actu productos datur etiam effectus producibilis, ergò præter ſpatium actu repletum, datur etiam ſpatium replebile; ſi enim multiplicantur locabilia debent, & loca multiplicari. Confirmo, ad declarandum Deum Omnipotentem non ſufficiunt Creaturæ actu productæ, ſed debent admitti aliæ producibiles, ergo ad declarandum Deum Immenſum non ſufficit ſpatium actu repletum, ſed requiritur aliud replebile; certè quo ad hoc difficilis eſt diſparitas.

Dices; adhuc admiſſo hoc ſpatio imaginario, reſpectu Dei non ſe haberet vt ſpatium replebile, quia, immenſitas Dei non dicit poſse replere omnia, ſed actu replere. Sed Contra, fateor, immenſitatem Dei actu eſse in hoc ſpatio imaginario, dicitur tamen ſpatium replebile in comparationem ſpatij poſitiui, in quo tam Deus, quam Creatura ſunt actu replentes.

Arguunt primò. non datur a par-

te rei id, quod nihil, est sed spatium imaginarium nihil est, cum sit mera capacitas, ergo non datur a parte rei hoc spatium imaginàrium.

Respondeo, hoc spatium esse aliquid saltem in obliquo, quatenus dicit posse repleri ab aliquo corpore. quod si non placeat hæc responsio (vt mihi etiam parum arridet) dicas, hoc spatium fore aliquid actu repletum, saltem ab Immensitate Dei, & sic non esse purum nihil.

Instabis, si hoc spatium, quod est extra Cælos, est actu repletum, quare potius non vocatur patium positiuum, quam imaginarium. Sed Contra. vocatur potius spatium imaginarium, quam positiuum, quia nos explicamus res, modo sensibili, & quia in hoc spatio extrà Cælos posito nulla datur res sensibilis, & materialis, quæ ipsum impleat, ideò &c.

Arguunt secundò. ita se habet spatium replebile sicuti Creatura possibilis, sed Creaturæ possibiles non sunt actu, ergo etiam hoc spatium imaginarium

narium non eſt actu, ſed ſufficit, quod ſit poſſibile. Deo fauente didici fallacias.

Reſpondeo, hoc argumentum mihi fauere; ſicut enim poſſibilitas rerum poſſibilium eſt actu, licet non ſit actu earum exiſtentia, ita replebilitas lucius ſpatij eſt actu, licet non ſit actu repletio actualis.

Inſtabis. non poteſt Homo dicere potentiam diſcurſiuam, niſi prius ſit actu, ergò nequit ſpatium dicere potentiam replebilem, niſi prius ſit actu, ſicque adhuc viget argumentum. Sed Contra. eſt falſum antecedens, quia de Homine poſſibili verificatur ſaltem remotè hæc propoſitio. *hic Homo poteſt diſcurrere.*

Arguunt tertiò. quia admiſso hoc ſpatio admitteretur vacuum, cum enim non eſset actu repletum, ideò &c.

Reſpondeo, vacuum odioſum Philoſophis eſse illud, quod diſcontinuat partes, cum autem in hoc ſpatio nunquam fuerint partes, ideò non poteſt ſequi diſcontinuatio. DIF-

DIFFICVLTAS LI.

An Creatura possit esse vbique.

COnclusio prima. Creaturæ vt finitæ implicat competere, esse vbique.

Probatur. quia Creaturæ, vt finitæ non competit esse infinitum, sed si Creaturæ, vt finitæ competeret esse vbique, competeret ipsi esse infinitum, saltem quo ad extensionem, ergo ipsi non competit esse vbique. Confirmo. quia quandò sumitur Deus, vt infinitus, excluditur quælibet finitas, ergo etiam quandò sumitur Creatura, vt finita, excluditur quælibet infinitas, sicque etiam infinitas localis.

Dices. licet opponantur album, & nigrum tamen Creatura, quæ hodiè est nigra, cras potest fieri alba, ergo etiam licet aliqualiter opponantur finitum, & infinitum, tamen Creatura finita potest fieri cras infinita, cum possit ei addi magis, & magis vsquè in

in infinitum. Sed Contra. aliud est dicere hos terminos *Creatura finita* aliud dicere hos alios *Creatura vt infinita*; primò modo Creatura finita, potest fieri infinita; non sic secundò modo, quia, quandò reduplicatur vnus conceptus excluditur alter.

Conclusio secunda. Creaturæ, vt præcisè tali, non implicat conceptus essendi vbique per participationem.

Probatur. quia Creatura vt præcisè talis non dicit nisi esse ab alio, sed hic conceptus non excludit hoc, quod est esse vbiquè per participationem, ergo &c. Probo Minorem, hoc, quod est esse ab alio non excludit esse semper per participationem, vt patet in Anima rationali, ergo neque excludit hoc quod est esse vbiquè per participationem. Confirmo. quia ex dictis, in quæstionibus de Infinito, non implicat Creatura, quæ sit infinita in longitudine, ergò neque implicabit Creatura, quæ sit infinita in extensione locali extrinseca, cum illa sit perfectior infinitas, quam ista.

Dices

Dices contra probationem. ideò non implicat Creatura æterna quia Creatura, quæ habet æternitatem non habet illam totam simul, e contra verò Creatura, quæ haberet immensitatem, haberet illam totam simul. Sed Contra. quia si detur infinita columna habet partes infinitas totas simul, cum omnes istæ partes sint actu; signum est igitur, quod hoc quod est habere totam infinitatem simul, non implicat in Creatura, vt præcisè tali.

Arguunt primò. Immensitas est attributum Dei, ergò nequit competere Creaturæ. Consequentia stat quia, cum attributa Dei sint propria Dei quartò modo, ideò debent competere soli Deo. hoc argumentum ponit in dubio, quod Homo sit spiritualis; quia spiritualitas etiam ipsa est attributum Dei.

Respondeo, Immensitatem esse attributum Dei participabile tamen a Creaturis; ad id, quod additur de proprio quartò modo dicendum est, quod

quod immensitas imparticipabilis est propria Dei quartò modo, non sic participabilis.

Instabis. quia risibilitas est proprium Hominis quartò modo, non potest competere alteri nec eodem, nec diuerso modo, ergo etiam, quia immensitas est proprium quartò modo, non potest competere Creaturæ nec eodem, nec diuerso modo idest nec per participationem, nec &c. Sed Contra. hoc argumentum facit pro me; sicut enim risibilitas conuenit etiam Deo virtualiter (continet enim Deus eminenter omnes perfectiones Creaturarum) licet formaliter conueniat Homini; ita a pari de reliquis proprietatibus.

Arguunt secundò. si Creatura esset vbique, esset etiam Omnipotens, sed hoc est absurdum, ergo &c. Minor sic probatur. quia quælibet operatio fit in loco, ergo causa existens in quolibet loco potest facere quamlibet operationem, sicque esse Omnipotens.

Re-

Respondeo, non benè deduci à Creatura vbiquizata Omnipotentiam; nam, licet ista Creatura posset vbique operari, posset tamen operari tantum intra spheram suæ actiuitatis; sic ignis, qui esset vbique, posset quidem vbique comburere, & calefacere, non tamen vbique producere Hominem.


Arguunt tertiò. Creatura, quæ esset vbique inferret secum imperfectionem in Deo, ergò non est admittenda. Antecedens sic euincitur. ista Creatura inferret secum, quod Deus non posset ponere in loco aliam Creaturam, nisi faciendo miraculum penetrationis cum ista Creatura.

Respondeo in primis, quod hæc Creatura vbique potius arguit perfectionem in Deo, qui in suis Thesauris continet adeò vastam ad Creaturam. ad id, quod additur, de miraculo penetrationis, vel dicas, quod miraculum non est imperfectio, sed potius res apretianda; vel quod est semper in libertate Dei destruere hanc

Creaturam vbique positam, & loco ipsius ponere alias.

Instabis. Est aliqualis imperfectio non posse ponere aliam Creaturam, nisi per destructionem primæ, ergo adhuc viget argumentum. Sed Contra. nulla est imperfectio, non posse facere nisi sic, quandò alius modus repugnat, vt patet in homine, quia Deo nequit fieri, nisi rationalis; in proposito ex suppositione, quod velit Deus operari iuxta cursum ordinarium, non potest ponere aliam Creaturam, nisi destruat saltem partialiter illam, quæ esset vbique (intellige si sit materialis) nè sequatur penetratio.

Dixi, si sit materialis quia, si hæc Creatura vbique esset spiritualis, tunc quælibet Creatura posset cum ipsa penetrari.



DIFFICVLTAS LII.

An benè Phylosophi impugnent, dari vacuum.

COnclusio. Argumentis, quibus consuetè impugnatur vacuum potest facilimè responderi. est contra communem, consentit tamen Noster Pater Baranzanus saltem implicitè.

Primum Argumentum est quia, cum vacuum sit discontinuatiuum partium, est etiam contra bonum Vniuersi. Sed Proh Deus quot de facto fiunt, quæ sunt contra bonum Vniuersi sunt infæctiones, bella, penuriæ, & alia huiusmodi, quæ sunt contra bonum Vniuersi, & tamen passim contingunt.

Possent dicere, bella, infæctiones, penurias, & alia huiusmodi esse tantum contra bonum particulare illius scilicet Prouinciæ seù partis, in qua sunt; at discontinuatio partium est

contra

contra bonum totius Vniuersi. Sed Contra. suppone, vacuum dari tantum Mediolani, tunc certè erit tantum contra bonum particulare; quod si velis, etiam hoc vacuum esse contra bonum commune, quia Mediolanum continuatur cum alijs partibus Mundi; statim dicam ego, quod etiam bella, infæctiones &c. sunt contra bonum commune, quia illæ prouinciæ, in quibus fiunt, continuantur cum alijs partibus Mundi.

Huc vsquè ad liberalitatem, cæterum vacuum ita est ex vna parte contra bonum Vniuersi, vt sit aliqualiter ei proficuum propter varietatem ipsius, & Pulcritudinem; magis enim varium, est, quod partim est vacuum partim plenum, quam illud, quod est tantumodo plenum.

Secundum Argumentum est quia nihil potest præualere Inclinationi Vniuersali, quæ tendit in continuationem suarum partium. Sed Contrà. sicuti in moralibus videmus, quod

sæpè bono communi prævalet vtilitas particularis, ita in Physicis dicendum est, cum maximè hæc Inclinatio vniuersalis debeat tantumodo vinci in illa parte, in qua daretur vacuum.

Tertium Argumentum fundatur in pluribus experientijs; videmus enim in cauis tubis ascendere aquam propter aerem attractum, ne detur vacuum; item in Infirmo atrahi carnes ad occupandum spatium relictum ab Igne combustorio, & similibus.

Respondeo ab his experientijs ad summum deduci, quod natura abhorreat a vacuo, & quod cõnetur ipsum impedire, non vero, quod vacuum non detur, & quod aliquandò impedire non possit. insuper, ad primam experientiam dici posset, quod Aqua si attrahitur, non est præcisè ad occupandum vacuum, sed propter vim aeris attrahentis. cæterum si daretur in illa tuba miraculosè vacuum, & non fieret violentia illius motus fortasè aqua maneret in suo

loco. est difficilis experientia, sed vsquequò non fiat, non est certum euenire non posse.

Dices. nullam sympathiam habet Aer cum Aqua, cum potius opponantur; est enim aer leuis, Aqua grauis, ergo non est credibile, quod ille ascensus Aquę proueniat a vi aeris attrahentis. Sed Contra. in primis possum retorquere argumentum sic. aliquam sympathiam habet aer cum Aqua, cum tam aer, quam Aqua habeant humiditatem, ergo est credibile, quod ille ascensus Aquæ proueniat ab aere; deindè directè dico, in motibus violentis non requiri sympathiam, vt patet in lapide proiecto, qui nullam habet sympathiam cum manu proijcientis.

Ad aliam experientiam dici posset, attrahi illas carnes, non præcisè ad occupandum spatium, sed ad claudendum aditum qualitatibus nociuis naturæ Infirmi. soluta sunt argumenta Aduersariorum videamus, quomodo ipsi soluant rationes contra ipsos adductas.

Prima

Prima ratio consistit in eo, quod; dum recedit aliquod corpus ab Aula, & aliud non succedat, tunc detur infallibiliter vacuum. Respondent statim, quod accurrat aer, & per consequens occupet locum relictum ab illo corpore. Sed Contra quæro; in locum istius aeris venit ne alter aer? si venit ergo datur processus in infinitum vt constat; si non venit, ergo leuis, vbi erat iste aer remanet vacuus, sicque habemus intentum.

Dicunt, quod sine tanto motu aeris sufficit, quod aer vicinus aliqualiter rarefiat, & se extendat ad occupandum locum relictum ab illo corpore hic te volebam. suppone, aerem vicinum esse iam rarum, ita vt rarior fieri non possit (& hoc suppositum, in sententia admittente Creaturam minimam, debet admitti) tunc certè curret argumentum. deindè. hæc rarefactio non ne tollit continuationem partium cum inter vnam partem, & aliam corporis rarefacti medient corpuscula diuersæ rationis, vel

saltem

ſaltem alia quantitas de nouo producta, iuxtà diuerſitatem ſententiarum. cur ergo relinquere vnam continuationem pro aquirenda alia ſibi non propria?

Secunda ratio eſt quia, ex ſupra dictis datur extra Cælos ſpatium imaginarium, ſed hoc de facto eſt vacuum, ergò. ſcio me ſupra reſpondiſſe vacuum, quod eſt odioſum Phyloſophis eſſe illud, quod diſcontinuat partes, quæ prius erant continuæ, cum autem in ſpatio imaginario non inueniantur partes continuæ, ideò &c. verum tamen eſt, quod licet hoc ſit fortaſsè maius malum, illud etiam eſt malum, per conſequens Phyloſophi, qui odio habent vnum vacuum, debent, & odio habere aliud, licet minori ira.

Tertia ratio fundatur in pluribus experientijs. nam ſi ſcindatur aliquid inſtantaneè, tunc pro aliquo inſtanti datur vacuum, cum aer non accurrat, niſi ſucceſſiuè. ſi immittatur aqua in vas plenum cinere, tunc aqua recipi-

tur, & sic est signum, quod daretur aliquis locus vacuus, in quo recipiatur aqua.


Respondent ad primam experientiam, quod scissio fiat successiuè, adeoque etiam successiuè accurrat aer. minus timidos censebam esse Aduersarios, dum enim negant suppositum; argumentum expauescunt, non video tamen, cur in rerum natura non admittatur, vel saltem non possit admitti instrumentum tale, vt in vnico instanti scindere non possit aliquod lignum, vel Petram; certè de hoc erubescunt Mallei, Cultri, Scalpra, Serræ &c.

Ad secundam experientiām dicunt, quod illa aqua recipiatur in poris cineris, qui pori prius erant repleti aere. Sed hæc responsio manifestè inducit, dari de facto penetrationem, nam ille aer non potest transire nisi transeat per os vasis, adeoque nisi transeat per aquam nitentem occupare tales poros.

Quæres hic primò, an per vacuum possit fieri motus. Re-

Respondeo affirmatiuè, quia aer tantum abest, quod adiuuet motum, quod potius resistendo suæ diuisioni aliqualiter conetur impedire, ergo si supponatur spatium vacuum aere, adhuc poterit sequi per ipsum motus, nec valet, quod aliquandò debeat sequi discontinuatio, vt si lapis esset propè parietem, & deberet moueri, nam in tali casu ad summum conabitur natura impedire, poterit tamen absolutè moueri.

Quæres secundò. an possint Animalia viuere in vacuo. communiter respondetur, quod Animalia, quæ indigent respiratione, in vacuo viuere non possint, quia, cum respiratio fiat per attractionem aeris, ideò in vacuo respiratio haberi non potest.



DIFFICVLTAS LIII.

Quid sit sentiendum de sententia Aristotelica, & Zenomistica in ordine ad compositionem Continui.

COnclusio prima. ex verbis Aristotelis definientis quantum, non certò deducitur, admisisse partes in infinitum diuisibiles.

Probatur. quia Aristoteles definiens quantum. 5. *Metaph.cap.* 13. sic dicit. *quantum est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumquè vnumquodque, vnumquid, & hoc aliquid aptum esse* at ex his verbis non certò deducitur, ipsum admitisse partes diuisibiles in infinitum, ergò.

Dices illa verba *& hoc aliquid aptum esse* denotant, quod illa pars, quæ componit partem continui sit iterum apta diuisioni, & sic in infinitum. Sed Contra. nihil gratius dictum; cum aptitudo ad essendum præscindat a

diui-

diuisione, & ab vnione; & illa verba possint facere sensum, vel quod illud aliquid sit aptum existere, vel quod illud sit aptum ad faciendum quantum, si vniatur cum alio puncto.

Demus deindè, quod illa pars eruta ex parte quantitatis sit diuisibilis in alias partes, an ne per hoc in infinitum? absit nam etiam numerus centesimus est diuisibilis in decem denarios, & isti denarij in quinque binarios, non per hoc tamen numerus centesimus potest diuidi in infinitas Vnitates.

Dices secundò. si semel admittatur pars diuisibilis in alias partes, gratis dicetur, quod diuidatur in tot, & non in plures, & per consequens in infinitas. Sed Contra. da palatium, quod habeat centum cubicula, an ne per hoc poterit diuidi in cubicula infinita? tu vide. cur deinde partes partis sint potius tot, & non plures rationem dabo in sequenti Articulo.

Conclusio secunda. etiam si Aristoteles admiserit partes infinitas. ar-

gumenta facta contra ipsam (quæ fateor esse efficacissima) possunt solui vtcumque nota ly *vtcumque*.

Primum argumentum dessumitur a tempore sic. hæc pars quantitatis successiuæ per Aristotelem constat ex alijs partibus in infinitum. quæritur, vtrum istæ partes simul omnes exist..nt, vel non; non potest dici primum, quia partes rei successiuæ non possunt simul existere; nec potest dici secundum, quia pars præsens, de qua fit hoc argumentum, deberet constare partibus præteritis, præsentibus, & futuris.. facili negotio posset quis, etiam plausibiliter, se expedire ab hoc argumento dicendo, quod Aristoteles non posuit partes infinitas in tempore, nam Aristoteles posuit partes infinitas in continuo, tempus autem non est continuum rigorosè, nam continuum rigorosè est illud, *cuius partes sunt vnum* in tempore autem tantum abest, quod partes sint vnum, vt neque sint simul; tamen.

Responderem, quod aliud est, quod

ens

ens successiuum debeat habere vnam partem post aliam , aliud est , quod quælibet pars debeat habere vnam partem post aliam ; sicut aliud est , quod corpus debeat habere duo brachia , aliud est quod , quodlibet brachium debeat habere duo brachia , in proposito pars præsens , in sententia Aristotelica , habet partes infinitas , sed omnes (meo videri) possunt esse præsentes , secus non essent partes partis præsentis .

Instabis . Hora non est totum tempus , sed est pars temporis , & tamen dicit partes successiuas , ergo etiam pars præsens , licet non sit totum successiuum , tamen debet dicere partes successiuas . Sed Contra disparitas est quia hora non est pars præsens , cum dicat maiorem latitudinem , at pars præsens non potest dicere nisi partes omnes præsentes , secus non esset adequatè præsens , & sic destruis suppositum argumenti .

Secundum Argumentum est . quia dum aliquid tango , vel tango diuisibile ,

 bile ,

bile, vel indiuisibile; si secundum; ergò dantur puncta, non partes. Si primum; ergò datur penetratio, quia non possum tangere diuisibile versus profunditatem, nisi prius penetrem partes extimas. aliqui vt effugiant vim argumenti negant dari superficiem, quæ tangatur, sed adhuc remanet integra difficultas, nam id, quod tangitur versus profunditatem (sit deinde superficies, vel non) non potest tangi, nisi penetrentur partes extimæ.

Respondeo ergò, illud, quod tangitur esse quidem diuisibile versus profunditatem, at non tangi versus profunditatem, sed tantum secundum partem extimam.

Instabis. vel hæc pars extima, quæ tangitur est, & ipsa diuisibilis, vel non; si non; iam dantur indiuisibilia, si sic; iterum currit argumentum. Sed Contra. hæc pars extima, & ipsa non attingitur secundum omnes partes, sed tantum secundum eximitatem.

tem. ingenuè fateor, quod in infinitum poſſit fieri inſtantia, ſed etiam in infinitum poteſt dari reſponſio.

Facilior reſponſio eſt in ſententia illorum, qui dicunt iſtas partes infinitas eſſe vnam intra aliam, & per conſequens vnam eſſe penetratam cum alia, in tali caſu non eſſet, cur penetrarentur extimæ ad attingendas partes infinitas.

Tertium argumentũ eſt deſſumptum ab illo Axiomatè Mathœmatico, quod perfectè ſphericum tangit planum in puncto, ex quo deducunt, quod in continuo non dentur partes, ſed puncta. aliqui boni milites, quia tuti, reſpondent negando ſuppoſitum, quod ſcilicet detur perfectè ſphericũ, ſed quia præter timorem, quem patitur hæc reſponſio, ligat manus Omnipotentiæ, ideò.

Reſpondeo, vel quod illud axioma, vt potè Zenoniſticum habet tantum vim in illius ſententia, vel quod dicitur, perfectè ſphericum tangere planum in puncto, ſumendo punctum

latè pro re valde parua, eo modo, quo dicimus de Homunculis *hic Homo est punctum Zenonisticum*.

Quartum Argumentum sic instruitur. penetrentur omnes partes quantitatis; quæritur. istæ partes, vel sunt in loco tamquam in indiuisibili, vel tamquam in loco diuisibili, si secundum; dantur puncta indiuisibilia; si primum, ergo sunt in loco extenso, ergo etiam ipsæ sunt extensæ, sicque non penetratæ, quod est contra suppositum.

Responderi potest, omnes partes quantitatis fore in parte, & per hoc sufficienter dicerentur penetratæ, sicuti sufficienter diceretur penetratum corpus si reduceretur ad paruitatem loci, quam habet brachium, licet locus occupatus a brachio sit diuisibilis.

Instabis, vel hæc pars, vbi essent omnes partes quantitatis esset actu extensa, vel non, si non; ergo esset in indiuisibili, si sic; ergo etiam quantitas occupans foret extensa, sicque non

non penetrata. Sed Contra. dico illam partem spatij non fore extensam in actu exercito, quia vna pars actu non esset extrà aliam, benè autem in actu signato, propter rationes adductas a sustinentibus partes in infinitum diuisibiles, quibus Auctoribus fiscus se remittit.

Conclusio tertia. Zenonem sensisse, quod punctum sit indiuisibile, etiam per Intellectum, & virtualiter est mera calumnia.

Probatur, quia incredibile est, quod Homo sapiens, vt erat Zeno, nesciret, quod punctum respiciebat Orientem, & Occidentem, atqui isti sunt diuersi respectus, saltem per Intellectum, & virtuales, ergo est mera calumnia, Zenonem sensisse &c. Confirmo primò. quia etiam per Zenonem Vnicum punctum poterat vniri ex vna parte cum puncto A., & ex alia parte cum puncto B., secus nulla vnquam data fuisset linea ex vtraque parte circuli, sed hoc modo est esse diuisibile virtualiter, ergo. Confirmo

secundò. Intellectus quia potest attingere hoc, & illud obiectum dicitur virtualiter diuisibilis, ergò etiam punctum, quia potest attingi ab hoc & ab illo Intellectu, est virtualiter diuisibile, sed Zeno non negauit, quod illud punctum a se cognitum non posset etiam cognosci a Platone, vel Aristotele, ergò est mera calumnia id, quod vulgariter fertur de sententia Zenonis.

Sit ergò firmum, séntentiam Zenonis in re esse eandem cum illa Nostri Patrís Serbelloni, asserentis, continuum componi ex punctis Physicis, finitis, realiter indiuisibilibus, diuisibilibus tamen virtualiter, propter illos respectus, ratione quorum potest punctum vniri ex parte Orientis, licet non vniatur ex parte Occidentis; quam sententiam non censeo improbabilem, licet verisimiliorem censeam illam, quam mox trado.



DIE-

DIFFICVLTAS LIV.

Quid magis verisimile sit in hac materia Compositionis continui.

Conclusio. verisimilius est, continuum componi ex partibus diuisibilibus in alias partes finitas, & hæ partes, in quas subdiuiditur pars continui, tot sunt, quot partes possunt ipsi vniri absque penetratione.

Probatur. quia sic euitantur incommoda sententiæ Aristotelicæ, & etiam difficultates sententiæ Serbellonicæ, ergo ista tamquam suauior admittenda est. Confirmo. quia debet dari aliqua distinctio inter extensionem, quam habet quantitas, & extensionem, quam habet substantia, sed illa extensio, quam habet substantia est tantum virtualis, cum consistat in eo, quod si vniatur cum quantitate fiat extensa, ergo extensio quantitatis debet esse realis actualis, sicque debet componi ex partibus diuisibi-

uiſibilibus in alias partes finitas. quæ tot ſint,quot partes poſsunt ipſi vniri.

Probatur ſecundò. licet materia ſit virtualiter extenſa, vt ſupra dictum eſt, tamen non facit cum forma ſubſtantiali extenſionem, ergò ſignum eſt, quod ad faciendam extenſionem non ſufficit virtualis extenſio, ſed requiruntur partes diuiſibiles in alias partes, ſaltem finitas.

Dices.ratio, cur ſubſtantia,ſeu materia non faciat extenſionem cum forma ſubſtantiali, eſt quia ſubſtantiæ munus non eſt extendere, cum hoc ſit proprium quantitatis, non verò eſt illa; quam aſſignamus nos. Sed Contra. ſuppone, quod cum materia vniatur indiuiſibile Serbellonicum, faciet rem extenſiorem, ecce quomodo adhuc ſumus in laqueo;

Probatur tertiò. pars, ſeu punctum (vt fugiamus litem) tangit aliquandò aliud ex parte Orientis, non ex parte Occidentis, ergo quia ex parte Orientis, & Occidentis ſupponuntur

nuntur dari partes distinctæ. nec valet recurrere ad respectus, quia ille tactus attingit entitatem non simplicem respectum entitatis; & certè si tangerentur tantum respectus valeret responsio.

Dices, verum est, quod tangitur entitas, sed tangitur considerata sub diuerso respectu. accipio responsionem, & sic mecum considero; Duo reperiuntur in hoc vestro indiuisibili, & respectus virtuales, qui sunt plures, & entitas quæ est vna. quæro ergò, cur potius ratione respectuum dicatur hoc punctum posse tangi, & non tangi, quam ratione entitatis, quæ vna est dicatur, quod possit tantum tangi? certè, cum principale in hoc puncto sit entitas, ad ipsius potius Vnitatem deberet attendi, quam ad respectuum pluralitatem.

Remanet vltimum argumentum de penetratione, quod sic instruo. vnum indiuisibile deberet aliud attingere secundum se totum, ergo deberet illud penetrare, cum implicet tan-

gere aliquid secundum se totum, & non sit in eodem loco, & per consequens penetratum. putant facilem responsionem dicendo, quod ad penetrationem requiritur non solum attingere rem totam, sed etiam totaliter, idest quo ad omnes respectus. trutinemus hanc responsionem.

Supono lignum penetratum cum pede Hominis; tunc certè daretur vera penetratio, licet a ligno non tangeretur Homo secundum omnes respectus, puta secundum respectum capitis, manus &c. ita a pari, licet hoc punctum non tangeretur secundum omnes respectus, tamen si tangitur secundum se totum penetratur; & hanc doctrinam eodem exemplo sic magis instauro. minus tangitur Homo supra dictus, quam tangatur punctum, cum punctum tangatur secundum se totum, licet non totaliter, & Homo nec tangatur secundum se totum, nec totaliter, ergò, si hoc non obstante, Homo ille dicitur penetratus, multò magis &c.

Arguere poſsunt primò. demus, quod pars quantitatis conſtet ex decem partibus. tunc ſic quæritur, vel quælibet ex his decem partibus conſtat ex alijs decem partibus, vel non; ſi non, ergò dantur indiuiſibilia, quæ partibus non conſtant; ſi ſic. de qualibet ex alijs decem partibus quæretur, an conſtent alijs partibus, & ſic in infinitum. Vtinam me protegam a me ipſo.

Reſpondeo, quamlibet ex his decem partibus conſtare tot partibus, quot ſunt partes, quæ ipſis poſſunt vniri; & ideò videant Aduerſarij, an plures, vel pauciores ſint partes, quæ cuilibet poſſunt vniri, & ſic erunt etiam plures, vel pauciores partes, ex quibus conſtabit quælibet ex illis decem partibus.

Inſtabis; demus, quod decreſcendo ſemper, & ſemper tandem deueniamus ad talem partem, cui poſſit vniri tantum vnica pars tunc ſic arguitur. iſta pars, cui tantum vna pars poteſt vniri non conſtabit alijs partibus,

bus, ergo erit indiuisibilis, sicque velis nolis debent admitti puncta indiuisibilia. Sed Contra. quidquid sit de supposito, quod facilimè posset negari, cum enim cuilibet parti possint vniri aliæ, & ex parte Orientis, & ex parte Occidentis, ideò nunquam poterit dari casus, in quo vna tantum pars possit vniri. dato inquam supposito dico, quod illud indiuisibile erit ineptum ad faciendam extensionem, propter rationes suprà attactas, adeoque impertinenter se habebit ad compositionem continui.

Arguere possunt secundò. cuilibet parti possunt vniri infinitæ partes, ergo quælibet pars constat ex infinitis partibus, non verò ex finitis. Antecedens probatur; quia cuilibet parti possunt aduenire partes ab omnibus partibus etiam spatij imaginarij, cum vna pars omnes partes mundi respiciat, sed partes, quæ possunt aduenire ab omnibus partibus spatij imaginarij sint infinitæ, ergò.

Respondeo, me ideò posuisse in

Con-

Conclusione illam particulam *sine penetratione* quia sciebam, quod poterat fieri hoc argumentum, si ergò parti finitæ aduenient partes ab omnibus partibus mundi penetrabuntur, vt patet in Circulo, a quo ducantur lineæ ad punctum.

Instabis. si a qualibet parte Cæli descenderet Aqua super terram, non per hoc aqua penetraretur, etiam si sint minores partes terræ, quam Cæli, ergò a pari &c. Sed Contra. ideò non penetrarentur illæ partes Aquæ, quia non immediatè vnirentur omnes cum terra, sed vna staret supra aliam partem Aquæ, & sic profunditate compensarentur maiores partes Cæli. at, si vni parti deberent immediatè vniri omnes partes, quæ possunt venire a spatio maginario. deberent istæ partes omnes penetrari.

Arguere possunt tertiò. ex dictis supra potest dari Creatura minima, sed data hac sententia, hoc est manifestè falsum, ergò. Minor sic ostenditur,

ditur, quia Creatura minima illa est, qua minor dari non potest, sed semel admissa diuisibilitate nunquam dabitur illa, qua minor dari non possit, cum non detur indiuisibile ergò.

Respondeo, quod ad saluandam Creaturam minimam non est necessè, quod sit minima in genere quantitatis, sed sufficit, quod sit minima, vel in genere qualitatis, vel in genere substantiæ. deinde dico, me non negare absolutè indiuisibilla, cum sic esset procedere in infinitum, sed me negare, ista indiuisibilia posse facere extensum, maximè si sit tantum vnicum, & illi adueniat aliud.

Arguere possunt quartò. vnus gradus caloris, licet sit indiuisibilis facit intensionem cum alio gradu, ergo etiam punctum quantitatis potest facere extensionem, etiam si non sit diuisibile. Oh bona gens, quæ confidit in hac dispari paritate.

Respondeo concesso Antecedenti. Nego Consequentiam, nec ad vllam teneor disparitatem, cum inter intensionem,

sionem, & extensionem nulla possit fieri paritas. attamen ad abundantiam dico, quod disparitas est in hoc, quod gradus qualitatis penetratur cum primo, dum facit intensionem cum illo, adeoque potest illum tangere totum, at secundum punctum deberet esse extra primum, & sic non potest illud tangere totum, quod tamen deberet sequi, si esset indiuisibile.

Instabis. ponatur secundus gradus qualitatis in parte proxima primò gradui tunc facit extensionem, & tamen tangit totum primum gradum qualitatis, ergò hoc, quod est tangere totum punctum non impedit extensionem. Sed Contra. verum est, secundum gradum qualitatis positum in loco proximo primo gradui facere extensionem, ast illam non facit ratione sui, sed ratione partis quantitatis, in qua est.

Arguere possunt quintò. prima componentia non debent esse composita ex alijs, ergò puncta, quæ

com-

Respondeo, Principium numeri non esse numerum respectiuè ad illum numerum, quem constituit, non verò absolutè, quià absolutè loquendo constitutiuum sortitur denominationem constituti, & sic etiam principium extensionis non est extensio respectiuè ad illam, quam constituit cum alijs partibus aduenientibus, non verò absolutè; & licet in aliquibus principium rei sufficit, quod sit tale virtualiter, vt patet in Sole respectu caloris, in alijs tamen debet esse tale formaliter; sic albedo, ad hoc vt dealbet, debet esse formaliter alba.

Hæc sunt Amice Lector, quæ mihi contra me ipsum in mentem venere. Vtinam alijs satisfaciam. certè mihi parum satisfacio; Deus enim creauit quantitatem, vt nostra & torqueret, & humiliaret Ingenia.



DIF-

DIFFICVLTAS LV.

Quomodo incipiant, & desinant res permanentes; & quid de definitione temporis.

CONclusio prima. res permanentes incipiunt tum intrinsecè, tum extrinsecè,& ita etiam desinunt. aduerte, illa incipere intrinsecè, quæ primò sunt, illa extrinsecè, quæ vltimò non sunt; rursus illa desinere intrinsecè, quæ vltimò sunt, illa extrinsecè, quæ primò non sunt. hoc supposito.

Probatur breuiter quia datur instans, in quo Ignis primò est, & instans, in quo Ignis vltimò non est. ecce incæptio intrinseca, & extrinseca. similiter datur instans, in quo Ignis vltimò est, & in quo Ignis primò non est; ecce desitio intrinseca, & extrinseca.

Conclusio secunda. Definitio, quæ communiter circumfertur est potius

explicatio extrinseca, quam vera definitio. est contra communem, saltem quo ad modum.

Probatur; quia communis definitio est, quod tempus sit. *numerus motus secundum prius, & posterius*, sed hoc modo est potius explicare mensuram temporis, quam tempus, quia potius explicatur motus primi mobilis, ratione cuius metimur tempus, quam tempus ipsum. melius ergò definiremus tempus in communi sic. tempus est *qualitas irreparabiliter fluens, dices prius, & posterius aliquandò mensurata à primo mobili, aliquando non*, & hęc definitio melius explicat quiditatem temporis in communi.

Dices data definitio est potius temporis imaginarij, quam temporis in communi. Sed Contra definitioni temporis Imaginarij demendæ sunt illæ particulæ *aliquando mensurata &c.* cum tempus imaginarium nunquam mensuretur à primò mobili, secus non esset amplius imaginarium, sed positiuum.

DIF-

DIFFICVLTAS LVI.

De inceptione, & desitione rei successiuæ.

Conclusio prima. Res successiuæ adequatè sumptę nec incipiunt, nec desinunt, vt formaliter successiuæ sunt.

Explicatur Conclusio. quia res successiua adequatè sumpta dicit prius, & posterius, ita quod vtrumque debeat habere, si ergo debet habere ante se aliquid prius, quomodo incipiet? & si post se aliquid, quomodo potest desinere saltem intrinsece:

Dices, ergo res successiuæ erunt æternæ? Sed Contra licet non incipiant, aut desinant, vt successiuæ adequatè, incipiunt tamen alio modo, vt infra, neque enim necesse est, quod res producatur sub omni formalitate, sed sufficit, quod producatur sub aliqua, eo modo, quo Omnipotentia non emanat in diuinis vt

productiua est, sed potius vt effluens a diuina aſseitate, cum vt productiua respiciat Creaturas, non Aſseitatem.

Conclusio secunda. res succeſsiua inadequatè sumpta incipit, & desinit tum intrinsecè, tum extrinsecè.

Explicatur. res succeſsiua inadequatè est illa, quæ vel dicit tantum prius ad se, vel tantum posterius ad se, sed pro vt dicit tantum aliquid ante se, potest desinere intrinsecè, quia vltima pars motus vltimò est, & supponit ante se penultimam partem; pro vt verò dicit tantum aliquid post se, potest incipere, intrinsecè, quia prima pars motus primò est, & supponit post se, seu, vt melius dicam, trahit post se secundam partem, ergò a primò ad vltimum res succeſsiua inadequatè sumpta potest incipere, & desinere intrinsecè. in ordine autem ad incæptionem, & desitionem extrinsecam nulla est difficultas, cum motus vltimò non sit, antequam incipiat, & primò non sit postquam terminet.

Arguunt primò. Res successiuæ adequatè habent durationem, ergo res successiuæ adequatè sumptæ habent incæptionem; Consequentia tenet, quia duratio, cum sit permanentia in esse, supponit incæptionem talis esse.

Respondeo, manifestam disparitatem consistere in eo, quod duratio tam potest supponere post se aliquid, quam ante se aliquid, vt si supponatur, quod res sit in secundò instanti suæ durationis, & debeat durare, etiam in tertiò, at incæptio nihil ante se, desitio nihil post se dicere potest.

Instabis. quando forma corrumpitur, tunc ipsa desinit esse, & tamen post se relinquit aliquid nempè materiam; rursus quando eadem forma generatur incipit esse, & tamen supponit ante se aliquid nempè materiam, ergò signum est, quod supponere ante se aliquid non tollit incæptionem, & dicere post se aliquid non tollit desitionem. Sed Contra. forma dum incipit, & dum desinit. habet

ante ſe, & poſt ſe aliquid ſubiecti, & non aliquid ſui, at motus v. g. ſupponeret ante ſe, & diceret poſt ſe aliquid ſui, si inciperet vt adequatè ſucceſſiuus.

Arguunt ſecundò. nihil eſt in motu, quod non sit Creatura, ergo nihil eſt in motu, quod non incipiat, Creatura enim, cum à ſe non ſit, debet eſse ab alio, & sic debet incipere ab alio, ergo non tantum motus inadequatè ſumptus, ſed etiam adequatè debet incipere,

Reſpondeo totum id, quod eſt in motu eſse Creaturam, at in motu non poſse dari Creaturam nunc incipientem, quæ ſupponat aliquid ſui prius, cum sic fiat implicantia in terminis, adeoque prius eſt probandum ſuppoſitum, ſcilicet, quod poſſit dari motus ſucceſſiuus, qui incipiat vt formaliter talis.

Inſtabis. poteſt dari motus, qui sit adequatè Creatura, ergo poteſt dari motus, qui adequatè incipiat. Sed Contra? ly *adequatè* facit duplicem

ſenſum,

ſenſum, vel quatenus totum id, quod eſt in primò inſtanti motus incipiat, vel quatenus incipiat motus vt adequatè ſucceſſiuus, quatenus, dum incipit, tam dicat aliquid poſt ſe, quam ante ſe; in primò ſenſu verum eſt, in ſecundò falſum, & implicans in terminis.

Arguunt tertiò. ſi daretur motus ab æterno tunc daretur incæptio, non tamen eſset incæptio motus inadequatè, quia adhoc, vt verificetur, quod iſte motus sit ab æterno, debet ſemper ſupponere, aliquid ante ſe.

Reſpondeo, in motu ab æterno non dari incæptionem temporis, & sic nos eſse extra quæſtionem præſentem; ad ſummum ibi datur incæptio naturæ, quatenus pro inſtanti naturæ concipimus Deum vt non adhuc producentem illum motum.

Arguunt quartò contra ſecundum. Res poſitiua non poteſt incipere, quando non eſt, ſed motus eſt quid poſitiuum, ergò nequit incipere, quando non eſt, sicque nequit incipere extrinſecè.

 Re-

componunt quantitatem debent esse indiuisibilia. Antecedens constat à paritate, nam corpus, ex quo componitur Homo non est compositum ex alio corpore, Anima ex alia Anima &c.

Respondeo prima componentia non debere esse composita respectiuè ad non prima componentia, non verò absolutè, quia si his primis componentibus debent vniri alia ex omni parte, debet ex omni parte esse aliqua pars (vel punctum, nam hoc parum refert) diuersa, & distincta, pro vt sunt distincta illa, quæ vniuntur.

Instabis primò. sufficit, quod illud punctum sit distinctum virtualiter cum enim distinctio virtualis æquiualeat distinctioni reali pręstat id, quod pręstat realis. Sed Contra verum est, quod in pluribus sufficit distinctio virtualis, at non in omnibus maximè dum agitur de materiali extensione, quæ ex vi nominis requirit partes extensas, materiales, & reales. cæte-

rum,

rum, ſi in quantitate ſufficeret diſtinctio virtualis, ſequeretur, quod naturaliter Bos poſſet ſtare in puncto indiuiſibili, quia hoc eſt virtualiter multiplex.


Inſtabis ſecundò. Licet rationale, & rugibile diſtinguantur realiter, tamen identificantur cum tertiò indiuiſibili; nempè cum Animali, ergò etiam ſi punctum, quod venit ab Oriento, & punctum quod venit ab Occidente diſtinguantur realiter poſſunt tamen vniri cum eodem indiuiſibili puncto. Sed Contra falſum eſt, quod rationale, & rugibile ſint identificata cum eodem indiuiſibili Animali, cum Animal, quod eſt in Homine non ſit idem realiter cum illo, quod eſt in Leone.

Arguere poſſunt ſextò. Sicuti Principium numeri non eſt numerus, ita principiũ quantitatis non ſunt quantitas, & Principium extenſionis non eſt extenſio, ergò non eſt neceſsè, quod quantitas componatur ex partibus diuiſibilibus, & extenſis.

Re-

Respondeo, Principium numeri non esse numerum respectiuè àd illum numerum, quem constituit, non verò absolutè, quià absolutè loquendo constitutiuum sortitur denominationem constituti, & sic etiam principium extensionis non est extensio respectiuè ad illam, quam constituit cum alijs partibus aduenientibus, non verò absolutè; & licet in aliquibus principium rei sufficit, quod sit tale virtualiter, vt patet in Sole respectu caloris, in alijs tamen debet esse tale formaliter; sic albedo, ad hoc vt dealbet, debet esse formaliter alba.

Hæc sunt Amice Lector, quæ mihi contra me ipsum in mentem venere. Vtinam alijs satisfaciam. certè mihi parum satisfacio; Deus enim creauit quantitatem, vt nostra & torqueret, & humiliaret Ingenia.



DIF-

DIFFICVLTAS LV.

Quomodo incipiant, & desinant res permanentes; & quid de definitione temporis.

CONclusio prima. res permanentes incipiunt tum intrinsecè, tum extrinsecè, & ita etiam desinunt. aduerte, illa incipere intrinsecè, quæ primò sunt, illa extrinsecè, quæ vltimò non sunt; rursus illa desinere intrinsecè, quæ vltimò sunt, illa extrinsecè, quæ primò non sunt. hoc supposito.

Probatur breuiter quia datur instans, in quo Ignis primò est, & instans, in quo Ignis vltimò non est. ecce incæptio intrinseca, & extrinseca. similiter datur instans, in quo Ignis vltimò est, & in quo Ignis primò non est; ecce desitio intrinseca, & extrinseca.

Conclusio secunda. Definitio, quæ communiter circumfertur est potius

explicatio extrinſeca, quam vera definitio. eſt contra communem, ſaltem quo ad modum.

Probatur; quia communis definitio eſt, quod tempus ſit. *numerus motus ſecundum prius, & poſterius*, ſed hoc modo eſt potius explicare menſuram temporis, quam tempus, quia potius explicatur motus primi mobilis, ratione cuius metimur tempus, quam tempus ipſum. melius ergò definiremus tempus in communi ſic. tempus eſt *qualitas irreparabiliter fluens, dices prius, & poſterius aliquandò menſurata à primo mobili, aliquando non*, & hęc definitio melius explicat quiditatem temporis in communi.

Dices data definitio eſt potius temporis imaginarij, quam temporis in communi. Sed Contra definitioni temporis Imaginarij demendæ ſunt illæ particulæ *aliquando menſurata &c.* cum tempus imaginarium nunquam menſuretur à primò mobili, ſecus non eſset amplius imaginarium, ſed poſitiuum.

DIF-

DIFFICVLTAS LVI.

De inceptione, & desitione rei successiuæ.

COnclusio prima. Res successiuæ adequatè sumptę nec incipiunt, nec desinunt, vt formaliter successiuæ sunt.

Explicatur Conclusio. quia res successiua adequatè sumpta dicit prius, & posterius, ita quod vtrumque debeat habere, si ergo debet habere ante se aliquid prius, quomodo incipiet? & si post se aliquid, quomodo potest desinere saltem intrinsece:

Dices, ergo res successiuæ erunt æternæ? Sed Contra licet non incipiant, aut desinant, vt successiuæ adequatè, incipiunt tamen alio modo, vt infra, neque enim necesse est, quod res producatur sub omni formalitate, sed sufficit, quod producatur sub aliqua, eo modo, quo Omnipotentia non emanat in diuinis vt

productiua est, sed potius vt effluens a diuina aseitate, cum vt productiua respiciat Creaturas, non Aseitatem.

Conclusio secunda. res successiua inadequatè sumpta incipit, & desinit tum intrinsecè, tum extrinsecè.

Explicatur. res successiua inadequatè est illa, quæ vel dicit tantum prius ad se, vel tantum posterius ad se, sed pro vt dicit tantum aliquid ante se, potest desinere intrinsecè, quia vltima pars motus vltimò est, & supponit ante se penultimam partem; pro vt verò dicit tantum aliquid post se, potest incipere, intrinsecè, quia prima pars motus primò est, & supponit post se, seu, vt melius dicam, trahit post se secundam partem, ergò a primò ad vltimum res successiua inadequatè sumpta potest incipere, & desinere intrinsecè. in ordine autem ad incæptionem, & desitionem extrinsecam nulla est difficultas, cum motus vltimò non sit, antequam incipiat, & primò non sit postquam terminet.

Arguunt primò. Res successiuæ adequatè habent durationem, ergo res successiuæ adequatè sumptæ habent incæptionem; Consequentia tenet, quia duratio, cum sit permanentia in esse, supponit incæptionem talis esse.

Respondeo, manifestam disparitatem consistere in eo, quod duratio tam potest supponere post se aliquid, quam ante se aliquid, vt si supponatur, quod res sit in secundò instanti suæ durationis, & debeat durare etiam in tertiò, at incæptio nihil ante se, desitio nihil post se dicere potest.

Instabis. quando forma corrumpitur, tunc ipsa desinit esse, & tamen post se relinquit aliquid nempè materiam; rursus quando eadem forma generatur incipit esse, & tamen supponit ante se aliquid nempè materiam, ergò signum est, quod supponere ante se aliquid non tollit incæptionem, & dicere post se aliquid non tollit desitionem. Sed Contra. forma dum incipit, & dum desinit. habet

ante ſe, & poſt ſe aliquid ſubiecti, & non aliquid ſui, at motus v. g. ſupponeret ante ſe, & diceret poſt ſe aliquid ſui, si inciperet vt adequatè ſucceſſiuus.

Arguunt ſecundò. nihil eſt in motu, quod non sit Creatura, ergo nihil eſt in motu, quod non incipiat, Creatura enim, cum à ſe non ſit, debet eſse ab alio, & sic debet incipere ab alio, ergo non tantum motus inadequatè ſumptus, ſed etiam adequatè debet incipere,

Reſpondeo totum id, quod eſt in motu eſse Creaturam, at in motu non poſse dari Creaturam nunc incipientem, quæ ſupponat aliquid ſui prius, cum sic fiat implicantia in terminis, adeoque prius eſt probandum ſuppoſitum, ſcilicet, quod poſſit dari motus ſucceſſiuus, qui incipiat vt formaliter talis.

Inſtabis. poteſt dari motus, qui sit adequatè Creatura, ergo poteſt dari motus, qui adequatè incipiat. Sed Contra? ly *adequatè* facit duplicem

ſenſum,

ſenſum, vel quatenus totum id, quod eſt in primò inſtanti motus incipiat, vel quatenus incipiat motus vt adequatè ſucceſſiuus, quatenus, dum incipit, tam dicat aliquid poſt ſe, quam ante ſe; in primò ſenſu verum eſt, in ſecundò falſum, & implicans in terminis.

Arguunt tertiò. ſi daretur motus ab æterno tunc daretur incæptio, non tamen eſset incæptio motus inadequatè, quia adhoc, vt verificetur, quod iſte motus ſit ab æterno, debet ſemper ſupponere, aliquid ante ſe.

Reſpondeo, in motu ab æterno non dari incæptionem temporis, & ſic nos eſse extra quæſtionem præſentem; ad ſummum ibi datur incæptio naturæ, quatenus pro inſtanti naturæ concipimus Deum vt non adhuc producentem illum motum.

Arguunt quartò contra ſecundum. Res poſitiua non poteſt incipere, quando non eſt, ſed motus eſt quid poſitiuum, ergò nequit incipere, quando non eſt, ſicque nequit incipere extrinſecè.

Respondeo, Rem positiuam non posse incipere intrinseeè quando non est, bene autem extrinsecè. vide supra datam explicationem incæptionis extrinsecæ, & sedabis conscientiam tuam.

DIFFICVLTAS LVII.

An sint Aposthatæ à propria sententia illi Modalistæ, qui in duratione modos non tenent.

Conclusio est affirmatiua. est Contra Valentiam, Ouiedum, &c.

Probatur. illi sunt Aposthatæ a propria sententia, qui inconsequanter loquuntur, quique sine vrgenti ratione recedunt ab opinionibus, quas tenebant, sed ita se habent Modalistæ supra dicti, qui ex vna parte inconsequenter loquuntur, quia in alijs rebus abhorrent a complexo, & explicantes se in duratione cum complexistis fædus ineunt, ex alia hoc faciunt sine vrgenti ratione, vt videbimus

mus in ſolutione obiectionum, ergò.

Dices. inconſequenter loqui eſt quando, ſtante eadem ratione, non tenetur eadem ſententia, at in hoc caſu non militat de duratione eadem ratio, quæ militat in alijs rebus, nam in alijs rebus militabat indifferentia, non sic in duratione; ex ſuppositione quod res sit hic, & nunc, non poteſt coexiſtere nisi huic *nunc*, cum non detur aliud *nunc*, cui poſſit coexiſtere. hoc eſt punctum difficultatis, ideò.

Probatur ſecundò. ideò in materia reſpectu formæ admittitur modus, quia ita vnitur, vt poſſit abſolutè non vniri, & ita vnitur cum hac forma, vt poſſit vniri cum alia, ſed pari modo ita duro, vt potuerim non durare abſolutè, potui enim non produci; & ita duro hodiè vt potuerim durare tantum per heri, ergò ſemper currit paritas. Confirmo. licet ex ſuppoſitione, quod ſim *hic* debeam coexiſtere huic loco, tamen ad coexiſtendum *hic* admittitur modus ſupeadditus, etiam per ipſos Aduerſa-

 rios,

rios, ergò etiam, licet ex ſuppoſitio-ne, quod ſim *nunc* debeam coexiſtere huic tempori, tamen adhoc vt exiſtam *nunc* debet admitti modus ſuperadditus.

Dices cōtra probationem: eſt hæc, diuerſitas inter materiam, & rem durantem, quod materia etiam ex ſuppoſitione productionis eſt indifferens, at res durans ex ſuppoſitione productionis non eſt indifferens ad hoc, vel illud inſtans, ſed debet durare in illo inſtanti, in quo producitur. Sed Contra. nota quæſo Amice Lector ſi adhuc paritas non currit per Aduerſarios, eſt vera hæc propoſitio. *res durare, ſeu coexiſtere debet illi tempori, in quo producitur*, ſed per nos eſt etiam vera hæc propoſitio. *materia debet vniri cum illa forma, cum qua vnitur*, ne fiat contradictio in terminis, difficultas ergo, ſicut currit pari paſſu, ita &c. nam non quæritur, an ex ſuppoſitione coexiſtentiæ huic tempori debeat coexiſtere huic, ſed quæritur, per quid abſolutè potius ponatur in

hoc

hoc tempore, quam in illo.

Arguunt primò. eo ipso præcisè quod intelligatur Creatura existens, & tempus extrinsecum intelligitur Creatura coexistens tali tempore, ergo superfluit modus superadditus. Antecedens probant, quia coexistentia nihil aliud est, quam duorum extremorum vtraque existentia. quam benè posset retorqueri argumentum sic. coexistentia nihil aliud est, quam duorum extremorum vtraque existentia, ergò ad hoc vt Creatura existat in loco sufficit, quod existat Creatura, & existat locus; & hanc Consequentiam non deglutient.

Respondeo directè, quod sicuti per Ouiedum eo ipso, quod intelligitur Creatura existens, & existens locus, non statim intelligitur coexistens loco, cum admittat possibilitatem corporis nullibi, ita possumus dicere, quod eo ipso, quod intelligitur corpus existens, & tempus, non per hoc statim intelligitur coexistens tempori, quia potest dari corpus nusquam.

nec enim facilis est disparitas de nullibizatione, & nunquizatione. Sed adhuc præscindendo ab hac sententia.

Respondeo alio modo, quod adhuc est inquirendum, quare potius Creatura producatur nunc, & conseruatur nunc, ad hoc vt deindè coexistat potius huic nunc, quam alteri.

Instabis. Deus est ille, qui cum sit liber ad extra, & quo ad substantiam, & quo ad modum, potius determinat concurrere nunc,& conseruare nunc, quam alio tempore. Sed Contra. adhuc sisto in Carissimis mihi paritatibus. licet Deus, vtpotè liber, & quo ad substantiam, & quo ad modum, potius ponat rem, in hoc, quam in illo loco, tamen præter Deum vbi distinctum admittitur, ergo currit paritas de tempore.

Arguunt secundò. in agregato durationis non est necesse, quod omnia sint intrinseca, ergo non requiretur modus superadditus intrinsecus, cum maximè res durans sit intrinseca sibi ipsi.

ipsi. quam belle hoc argumentum probat, nequè in composito substantiali debere dari modum intrinsecum, quia materia est intrinseca sibi ipsi.

Respondeo verissimum esse, quod in agregato durationis non omnia sint intrinseca, & de facto tempus non est intrinsecum rei duranti, sed tantum nexus ille, qui vnit rem durantem cum tempore, eo modo, quo effectus est extrinsecus causæ efficienti, & tamen actio est intrinseca, vel vni, vel alteri, cum vel in vno, vel in alio recipiatur.

Instabis. nexus vniens est in gratiam extremorum vnibilium, ergo si extrema sunt ad inuicem sibi extrinseca, etiam nexus erit extrinsecus; sed contra. consequentia huius instantiæ laborat; nam sicuti ex eo, quod extrema sint partes non valet dici, quod pariter nexus sit pars, ita ex eo, quod extrema sint sibi ad inuicem extrinseca non valet dici, quod etiam modus, seu nexus sit extrinsecus.

Arguunt tertiò. si duratio consi-
sterct

ſteret in modo ſuperaddito, poteſt Deus facere, quod Homo, poſt durationem in trigeſimo quintò anno, tranſiret ad durationem in trigeſimo ſeptimò ſine tranſitu ad durationem in trigeſimo ſextò; ſed hoc eſt abſurdum, ergo. hoc argumentum inueni in Patre Ouiedo, non tamen inueni in ipſo probationem ſequelæ; pro nunc accipio arma Ouiedi, & contra ipſum ſic pugno. non minus ſunt in manu Dei illæ extrinſecæ connotationes ad tempus, quam ſint iſti modi ſuperadditi, ergo ſi ipſe dicit, quod Deus poteſt ponere poſt modum durationis trigeſimæ quintæ, modum durationis trigeſimæ ſeptimæ, ita & nos contra ipſum dicemus, quod Deus poſſit immediatè poſt connotationem anni trigeſimi quinti, connotationem trigeſimi ſeptimi ponere; propterea Auctores, qui durationem conſtituunt in hac extrinſeca connotatione, ſunt nobiſcum in eadem naui.

Reſpondeo igitur directè negando ſequelam; quia, cum duratio trigeſi-

ma ſeptima ſit eſſentialiter poſt trigeſimam ſextam, vt patet ex terminis ipſis, ideò non poteſt Deus facere, quod poſt trigeſimam quintam ſequatur immediatè trigeſima ſeptima.

Arguunt quartò. Deus non coexiſtit cuicumque tempori per aliquod intrinſecum, cum implicet, Deum recipere aliquid intrinſecè, ergo nec Creatura.

Reſpondeo, Deum non eſſe in eodem linea cum Creatura; vnde, modus qui in Creatura eſt intrinſecus, in ipſo (ad tollendam difficultatem receptionis intrinſecè) poteſt eſſe extrinſecus.

Inſtabis. Deus eſt in omni tempore per ſuam entitatem, ergo non eſt ibi per modum ſuperadditum. Sed Contra. Verum eſt, Deum eſſe in omni tempore per ſuam entitatem, ſed non tantum, vt volunt boni, & legitimi Modaliſtæ.

Arguunt quintò. Iſte modus durationis, ſeu coexiſtentiæ ad tempus, ſupponeret rem iam durantem, ergò


nil

nil faceret, sicque esset superfluus. Antecedens probatur quia modus durationis debet supponere rem existentem, sed nequit existere nisi duret, ergo modus durationis supponit rem durantem, seu tempori coexistentem.


Respondeo, modum durationis supponere in instanti naturæ rem existentem, & pro illo instanti non supponere rem durantem, eo modo, quo modus vnionis supponit quidem materiam existentem, non verò vnitam, & vtinam hæc breuis duratio, qua miserias ingenij nostri elucubramus, via sit ad durationem æternæ fælicitatis. interim hic sit Physicæ.

FINIS.

LAVS DEO.




Omnia hæc Catholicæ Romanæ Ecclesiæ subijcio, testorque Deum, quod, si aliquid aut fidei, aut moribus dissonum è calamo cecidisset, ego primus opus meum flammis inijcerem.



INDEX CAPITVM

Quæ in hoc opere continentur.



De principijs præcipuè.

De Materia.

De

De Forma.

De priuatione, & toto.

De Natura, & Arte.

De Causa in Communi.

De Causa efficiente.

subſtan-


De Cauſa efficiente Increata.

De Cauſa finali.

De Motu.

Diffic. 40.

Diffic. 51.



FINIS.